


THEODORI JANSSONII
ALMELOVEEN M.D.

DE VITIS STEPHANORUM,

Celebrium Typographorum

DISSERTATIO EPISTOLICA,


In qua

De STEPHANORUM *stirpe, indefessis laboribus, varia fortuna atque libris, quos orbi erudito eorundem officinae emendatissime impressos unquam exhibuerunt, subjecto illorum* INDICE *accuratius agitur : atque obiter multa scitu jucunda adsperguntur.*

Subjecta est H. STEPHANI Querimonia Artis Typographicae. Ejusdem Epistola de statu suae Typographiae.

ad Virum Clarissimum

JOAN. GEORG. GRAEVIUM.





AMSTELÆDAMI,

Apud JANSSONIO-WAASBERGIOS. 1683.

FABIUS lib. XII. c. 6.

Non differendum eſt tyrocinium in Senectutem, nam quotidie metus creſcit, majuſque fit ſemper, quod auſuri ſumus: & dum deliberamus, quando incipiendum ſit, incipere jam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem, & adhuc dulcem promi decet, dum & venia & ſpes eſt, & paratus favor, & audere non dedecet; & ſi quid deſit operi, ſupplet aetas: & ſi qua ſunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur.

AD

THEODORUM JANSSONIUM AB ALMELOVEEN,

Medicum eruditissimum,

Nuper Discipulum gratissimum, nunc Amicum candidum,

STEPHANORUM vitas describentem.

Dum Stephanûm *Genus & Proavos & Fata recenses,*
Festa Typos Proavûm Teque corona manet.
Fata Typis Stephanûm fuerint infensa, nitorque
Noxius. Heu paucis Plutus Apollo pares.
VIVITUR INGENIO, *virtutis maxima laus est.*
Conjugium dispar copia mensque facit.
Divide sic Proavûm felicia fata Typorum
Cautus ab indoctis praemia rara viris.
Emicet ille Nepos, praeloque Typoque lucrosis,
Arte tua, studiis nomen opesque roga.
Vivere sic solitus sapiens, haec vita Deorum est,
Qui sapit aeternum vivere dignus erit.
Litera Pieridum Medicinae dextera jungat.
Musarum pater est Phaebus & artis amor.

JACOBUS VALLAN.
M. D. Prax. & Instit.
Med. Prof. h. t. Rect.

Dabam, Ultraject.
a. d. x. Kal. Maj.
cIↃIↃcLxxxII.



ROBERTUS STEPHANUS

ROBERTUM *cernis* STEPHANUM *quem Gallicus orbis*
Miratur. primus Chalcographum Stephanus:
Qui pius et doctus procudit Scripta piorum
Sorbona hinc non vult impia ferre virum

VIRO CLARISSIMO

JOANNI GEORGIO GRAEVIO

Politices, Hiſtoriarum & Eloquentiae Doctori in Academia

TRAJECTINA BATAVORUM

THEODORUS JANSSONIUS AB ALMELOVEEN.

S. P. D.

SAEpe & multum hoc mecum cogitavi, Virorum Celeberrime, bonine an mali plus attulerit hominibus & civitatibus, imo rebuspublicis ac regnis ars typographica, ac nitidiſſime & citiſſime excudendorum librorum nobile illud artificium. Multa ſunt, ſi bene perpendas, ab utraque parte commoda, multa & incommoda, quae omnia juſtâ trutinâ ſi ponderentur, comperiemus commodorum numerum longe praevalere: quae ſi quis cognoſcere deſiderat, adire poterit illos auctores, qui hujus artis inventionem, & laudem, & commoda literis demandarunt. Quae ego ea propter ſciens volens praetereo. Multum tamen differre crediderim, quinam hanc praeſtantiſſimam exerceant artem; ſiquidem, ut Venuſini vatis tempore in artem Poëticam, ſic hoc noſtro in Typogra-

graphicam docti & indocti passim involarunt ; quo evenit, ut quorundam Auctorum scripta ita sint defoedata, atque ab illis, qui Typographorum mendis emendandis praefuerunt, adeo male habita, ut vel minime eam, quam prae se ferunt, curam referant. Quæ sola caussa fuit, quare quo tempore studiorum meorum cursum summa cura cum dirigeres, saepissime me monueris, ut nullorum Typographorum magis quam ALDINORUM, PLANTINIANORUM, & maxime STEPHANORUM fiderem, editionibus, quod me vel puerum edocuerat jam olim Vir Clarissimus & in hisce literis eruditissimus Jacobus Tollius, qui meorum Studiorum elementa primus formavit diligentissime, & fundamenta jecit fidelissime, id quod saepius grata mente recordor. Quod idem quoque me admonuisse Nobilissimum Nicolaum Heinsium, ad quem aditum Tu primus mihi fecisti, laeto animo frequens reputo. Quibus excitatus simul & incitatus, omnem, quam potui, oblatam captavi tenuique occasionem, & egi cum Viris Doctissimis de praestantia *Typographei Stephanei*, cujus infantiam, si ita loqui liceat, & labores impensius, quam aliorum, ullius, cognoscere mecum, plures desiderare cum intelligerem ; nunquam deinceps praetermisi, quin omnia diligentissime, quantum saltem in me fuit, quæ de STEPHANEO genere sese obtulerunt, semper tam è Graecorum quam è Latinorum scriptorum prologis, praefationibus, conquisierim atque annotaverim, postea usui meo inservitura.

Cumque igitur per ferias * (*excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur*) hasce hyemales, dum alii indulgent Genio, Bacchanalibus, lu-

* *Senec. praef. lib. 1. Controv.*

ludis, confabulationibus, & nescio quibus non voluptatibus, & inutilibus exercitiis, per omnium humaniorum literarum partes liberius, animum oblectandi gratia, divagari licuerit; Bibliothecam, & curtam meam supellectilem festinanter dubius, quid potissimum eligerem, pervolvi, & incidi praeter alios in Scaevolam Sammarthanum, Gallorum doctrinâ illustrium ἐλογιογράφον satis accuratum amplumque, qui *Stephanorum*, à Roberto incipiens, hisce honorificis profecto verbis meminit. (a) *Inter eos, qui de re literaria bene meriti sunt* ROBERTI STEPHANI *Parisiensis Typographi solertissimi, splendidissimique magna cumprimis, nec ullo aevo interitura laus fuit.* Quòd elogium aliorum simul ac meo desiderio ut satisfacerem, me incendit, imo coëgit, rem paullo altius repetere, atque diligentius perpendere. Hanc industriam, hunc laborem, Doctissime Vir, Tibi (Cui eum consecratum, & apud homines, tamquam monumentum pietatis in Te meae exstare volo) minime displiciturum spero. Nam id à me (ut (b) Censorini nunc ore loquar) *vel docendi studio, vel ostentandi voto non fieri, praedico, ne in me, ut vetus adagium est, jure dicatur, Sus Minervam. Cum vero tuo collatu scirem, me plura didicisse, ne beneficiis tuis viderer ingratus, nostrorum veterum sanctissimorum hominum exempla sum secutus. Illi enim, quod alimenta, patriam, lucem, se denique ipsos deorum dono habebant, & omnibus aliquid dis sacrabant, magis adeo ut se gratos approbarent, quam quod deos iis arbitrarentur indigere. Itaque cum perceperant fruges, antequam vescerentur, dis libare instituerunt: & cum agros atque urbes deorum munere possiderent, partem quandam templis sacellisque, ubi eos colerent, dicaverunt: quidam etiam cetera bona*

A 2 cor-

(a) *Lib.* II. (b) *De die Natali cap.* I.

corporis valitudine crinem Deo sacrum pascebant. Ita ego, à quo plura in litteris percepi, Tibi haec exigua reddo libamina. Sed quaeres fortean, quorsum haec, cum illa privati alicujus & φιλοστεφάνε tantum sint oblectamenti? Respondeo, ut intelligere omnes possint: * *Neminem unquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui illorum magnitudinem meritorum multitudinemque beneficiorum, quae in plurimos auctores, totamque rei literariae rempublicam contulerint, non modo augere, aut ornare oratione, sed ne enumerare aut consequi possit.* Quare mirandum est, Virorum Optime, quod in hunc usque diem nullus eruditorum exstiterit, (cum tamen omnes, ut & noster Scaevola, uno ore confiteantur, STEPHANOS tantum lucis èmolumentique rei literariae attulisse, ut nullus ipsis comparari, nedum praeferri mereatur) qui ipsorum genealogiam à prima origine deduxerit, vel à capite usque arcessiverit, quodque eò magis mirandum duco, cum Gallis innatum (ut ita loquar) sciamus, suis doctis atque nobilibus gloriari. Maxime autem, cum constet, eos habere occasionem haec omnia latius investigandi, exquirendique multo nobis commodiorem. Fecerunt tamen illud ex parte *Pierius Valerianus in libello de Literatorum infelicitate, Paulus Colomesius in sua Gallia Orientali, Scaevola Sammarthanus*, aliique (qui eruditorum vitas descripsere) plurimi, quorum hic indicem subjicere animus non est; Illorum tamen nemo ex professo minima haec collegit, atque inter alia, continenti sermone scripta, hactenus orbi literato exhibuit. Sed jure merito quis dicere posset, STEPHANORUM nomen videri non modo una cum ALDINO, PLANTINIANOque,

* *Cicero Post redit.*

que, sed & ipsorum eruditionem penitus esse depressa deletaque: forsitan quia Typographi fuerunt, vel operam plurimam Auctoribus Græcis navarunt, quos ipsorum temporibus ex ignorantia linguae, plurimi flocci fecere: qua tamen media in Barbarie, vel saltem non longe post ejus expulsionem, incomparabilem suum *linguae Graecae thesaurum*, ex omnibus, auctoribus, pertinaci & assiduo studio, multo labore *Henricus Stephanus* effodit. Cujus Barbariei ipse meminit in secunda ad Jacobum Dalechampium Epistola, Virum ingenuis artibus instructissimum, ubi Julii Roscii Hortinii ignorantiam carpens inquit: *Sed reprehendenda potius est, quae per animos plurimorum, in Italia potissimum, pervasit opinio, inutilem esse, qui in discenda Graeca lingua ponitur, laborem.* Quod si aliorum auctoritate atque Testimonio confirmatum quis desiderat, ne solius Stephani verbis stare videar, ex locum Isaaci Casauboni de re literaria quam optime meriti, ubi Jacobo Bongarsio scribens deplorat mortem eruditissimi Viri Frederici Sylburgii, Epistola XLVIII. Tuae, Vir Amplissime, quae Brunsvici est, editionis; *Ain tu? Sylburgius fuit! O factum male! O gravem reipublicae litterariae jacturam! en quo spes mortalium redeant! nam paucis ante diebus per Commelinum mihi significatum erat de multis ipsius coeptis & inchoatis laboribus, habent Graecarum literarum amantes quod doleant, quanquam, ut nunc vivitur, paucos ea cura tangit, prorsus enim contemptae jacent nostrae Musae Graecae, & si ita pergitur, pauci adhuc anni, & vel nomen Graecorum Auctorum interierit.* Vide cetera &, si lubet, Epistolam LXXI. Sed quid mirum! * *Tunc enim cautela Regulae Bartholicae regnabat; Graecum est, non legitur.* Quod si isti saeculo

 eve-

* *H. Stephan. Praef. de abusu. Ling. Graec.*

evenerit, quid huic nostro exspectandum, vel indoctus viderit. Verum ad genealogiam, quam explicare pro ingenii modulo intendimus, pergamus.

Nullam parentis illius *Roberti Stephani*, qui *Henricus* fuit nominatus, mentionem facit adductus non modo Sammarthanus, sed nullus, vel saltem perpauci, ut video, alii: quod an studio, quia adeo celebris non fuit, vel ignorantia; nullus determinare audeo. Constat tamen hunc *Henricum* fuisse impressorem diligentissimnm, habitantem *Parisiis è regione Scholae Decretorum*, anno nativitatis Christi, secundum aeram communem CIↃIↃIX. uti patet ex Historia Asiae & Europae à Pio Papa conscripta, ac apud *Eum* eo anno impressa. Nec ulterius processit nobilissimus Malincrotius in dissertatione sua de arte Typographica Cap. XII. *fuit ibidem* (Parisiis nempe de quibus agit) *Henricus etiam Stephanus senior* ROBERTI *parens, cujus infra obiter memoratio fiet, is autem anno* 1509 *excudit Quintuplex Psalterium Latinum Jacobi Fabri Stapulensis.*

At forsitan quispiam objiciet hunc HENRICUM ceterorum avum, & hujus *Roberti* parentem non fuisse, quaeretque ex me unde illud mihi constet? Huic fidem ego ex Dioscoride apud eundem *Henricum Stephanum* impresso Anno M. D. XVI. facturum liquido arbitror: Legitur enim in fronte libri: *habetur venale in Officina* HENRICI STEPHANI *è regione Scholae Decretorum*, *quod idem* in calce operis, ut iis hoc moris est, pluribus repetit. Magis elucescit veritas, si respiciantur *Commentaria Aelii Antonii Nebrissensis Grammatici in sex A. Persii Satyras*, quae Parisiis excusa sunt, *ex Officina* ROBERTI STEPHANI *è regione Scholae Decretorum*, *Anno redemptionis nostrae millesimo, quingentesimo septimo & vicesimo.* Maxime

me autem, si consulas Biblia apud *Robertum Stephanum*, *Henrici*, cujus jam meminimus, filium impressa Anno M. D. XXVIII. quibus præfixa est *Oliva*, qua postea semper omnes *Stephani* usi sunt, cum inscriptione NOLI ALTUM SAPERE SED TIME Parisiis *ex Officina Roberti Stephani è regione Scholae Decretorum* (ubi *Eum* commoratum fuisse ad annum usque M. D. XXXVIII. nos docet Onomasticum Bibliis apud *Eum* M. D. XL. excusis, subjunctum.) Hujus habitationis domusve certitudinem majorem indagare ac descriptionem exhibere latiorem possent ipsi Parisienses, quod nobis denegatum est. Ex his omnibus jam certo certius colligere posse mihi videor, hunc *Henricum Stephanum*, *Roberti* primi, à quo Sammarthanus exorditur, fuisse patrem. Sed res exigere hoc loco videtur, ut, quoniam agimus de *Typographeio Stephaneo*, etiam breviter exponamus, quid de ejus Symbolo, NOLI ALTUM SAPERE SED TIME judicandum censeamus. Locus autem, unde desumptum videtur, invenio apud *Tertullianum* in carmine ad Senatorem scripto, ubi inquit.

Indulgeo dictis, sapientia non placet alta;
Omne quod est nimium, contra cadit.

Deinde post decem interjectos versus subjicit.

Sic nimium sapere stultum facit improba secta.

Si non potius deductum ex illo loco velis, qui exstat *Eccles.* Cap. VII. Comm. 16. *Noli esse Justus nimis multum, neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas.* Quod sane sapientissimum (si modo hinc deductum est) summe sapientis Regis monitum, qua prudentia à ROBERTO STEPHANO electum sit vel imperitus facile perceperit. At quanam ratione hoc *Olivae*, omnium arborum optimae, adjunxerit quis nostrum assequetur? fortasse quaedam à limine

quasi salutaturi, quædam vero è longinquo quasi visuri sumus, Oedipo hic opus est, quis enim alterius mentem plene, ut ita dicam, obscuris conjectationibus expiscabitur? Quare quidem, cum nemo, quantum mihi cognoscere licuit, de hoc symbolo scripserit, nos pro Viribus tamen aliquid de eo in medium proferre adnitemur. *Olivae* hoc AEnigma junxit, quia censuit, *Olivae fructus (a) ad omnes Artes accommodatos esse, Oleum scilicet; nam profecto nulla fere ars est, quæ non olei beneficio utatur, aut aliqua ex parte adjuvetur.* Vel aliis forte ex caussis, quas non tam cognoscendi, ut supra dixi, quam enarrandi caussa, ad Te, Virorum Disertissime, perscribere animus tulit. *Oleam* ergo seu, ut alii malunt, *Olivam* esse *Pacis* signum testatur hoc Maronis AEn. VI. *Paciferæque manu ramum prætendit Olivæ:* cui è profanis adjungere licet Aristophanem in avibus, Valerium Flaccum in Argonauticis, è sacris columbam Noachi oliviferam: Adsunt praeterea testificantes numi Imperatoris, *Severi Pii Augusti*, quibus togatum impressum est simulachrum cum *Oleae* ramo, adjecta inscriptione FUNDATOR PACIS (*b*) Ad testimonium itidem citare possem numos *Augusti*, quibus Orbis inter *Oleae* ramos cum hac epigraphe videtur: PAX ORBIS TERRARUM (*c*) item *Neronis* (*d*) *Alexandri Severi* (*e*) *Gordiani Pii* (*f*) aliorumque ut & Atheniensium, quibus *Olea* ostenditur (*g*) impressa; sed literarum angustiae, illa omnia eruere, explicare, examinare atque deducere non permittunt, nec res exigit

(*a*) *Natal. Com. Mytholog.* l. IV. c. V. *Vid. Anton. Augustin.* Dialog. II. *de Antiquit.* (*b*) *Collect. Arscotan.* Tab. LIII. II.
(*c*) *Collect. Arscotan.* Tab. XV. 2. 4. (*d*) *Idem* Tab. XXI. 4,
(*e*) *Idem* Tab. LVI. 6. 8. (*f*) *Idem* Tab. LVII: 16.
(*g*) *Spanhem.* Dissert. IV. *de Præstant. Numism.* pag. 272.

exigit, ne γλαῦκας εἰς Αθήνας mittere videar, & Ovidianum illud mihi à quopiam objicatur:

Quid folia arboribus, pleno quid ſidera coelo,
In freta collectas alta quid addis aquas.

Pergo itaque ad *Domitiani* numum, qui exhibet mulierem ſtantem altera manu cornu copiae, altera *Oleae* ramum tenentem, cum hac inſcriptione FELICITAS PROVINCIARUM. *(a)* unde evidenter demonſtrari poteſt *Oleam felicitatis* ſignum fuiſſe. *Veniae* quoque atque *miſericordiae* indicium eſſe multis S. S. Scripturae locis adſtruere volenti foret facile, quorum liber ſecundus tertiuſque Moyſis copiam ſuppeditare poterunt, ut & Pſaltes David qui *Olea* Virum probum & miſericordem deſignat, quîcum Rex Salomon conſentire videtur, qui eundem eodem exprimit ſigno. Non patitur tempus, Praeſtantiſſime Vir, explicare, qui veteres *Olea expreſſerint manſuetudinem*, *frugalitatem*, *hilaritatem*, *ſecuritatem (b) concordiam (c) ſpem*, *victoriam*: ſic apud Athenienſes ac ludis in Olympicis *Olea* coronabantur victores teſte Plinio: *(d) Aeternitatem*, *Gymnaſia*, *Olea* indicarunt antiqui, ut è *Cicerone*, *Plinio* aliiſque etiam auctoribus pluribus oſtendit doctiſſimus Pierius Valerianus *Hyeroglyph.* lib. 53. quem adire poterit, qui de hiſce plura deſiderat. Veruntamen quod praecipue me in admirationem rapit, eſt quod nusquam omnino iſtius ſymboli ſeu emblematis quidquam notatum ſcriptumve invenerim, cum tamen *Aldinorum Frobenianorumque* ſumma cum laude meminerit doctiſſimus Batavorum, vel ſolum fere ſummum eorum lumen D. Eraſmus, Centuria primâ Chil. ſecundae celebrium ſuorum Adagiorum, qui locus reſpici

 mere-

(a) Collectan. Arſcotan. Tab. XXXI. 24.
(b) Collect. Arſcotan. Tab. XXXIII. 4.
(c) Idem Tab. XXXI. 23. *(d)* Lib. XV. c. 4.

meretur. At quid caussae fuerit, quo minus Symbolum *Stephanorum* exposuerit, nullus video. Praeter Erasmum videri poterit Joachimi Camerarii symbolorum & Emblematum Centuria IV. Embl. IX. de *Aldino*: & Sylvester Petra Sancta libro VIII. cap. VII. ubi *Plantini* LABOR ET CONSTANTIA aere expressa *Exhibetur*. De *Stephani* tamen vir clarissimus Claudius Minois in Syntagmate de Symbolis, Alciati Emblematibus prafixo, Ubi agit de Typographicis, haec inter alia refert: *Sed ad Gallos venio, qui sese iis superioribus aequarunt, vel certe nusquam inferiores habiti sunt. Inter eos nemo mihi occurrit illustrior, vel suo aevo peritior, aut diligentior* Roberto Stephano, *qui pro familiari schemate arborem habuit in ramos porrectam, addita figura speculantis hominis, verbo adscripto D. Apostoli* NOLI ALTUM SAPERE, *qua nota visus est arguere nimis curiosam de rebus obscuris ac Divinis investigationem, & doctrinae cuicumque apponendum modum.* De aliis *Stephanorum* Symbolis nihil hic adjiciemus, siquidem rarius usi sunt. Nam pauci, praeter Platonem Serrani, libri Symbolum hoc DEFRACTI SUNT RAMI, UT EGO INSERAR referunt; quod solum *Henricum*, dum patria exsularet, nonnumquam libris suis praefixisse video. Verum dum de *Oliva* ejusque epigrammate loquar, subjungendum videtur, Robertum numquam huic *Oleae* adjecisse icunculam viri, Epigraphen quasi indice digito demonstrantis ante annum M. D. XXVII. ast diversis modis istud Symbolum, pro loci opportunitate arbori apposuisse. Ut autem breviter colligam, quae de illo *Stephaneae* domus Symbolo huc usque dixi, certo certius videtur, ut Claudius Minois annotavit, illud è Sacris esse desumptum, disertissime namque Gentium Apostolus ad Romanos capitis XI. comm. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.

Quod

Quod (inquit ex ore veteris interpretis) *si delibatio sancta est, & massa : & si radix sancta, & rami : quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum Oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis Olivae factus es, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo:* FRACTI SUNT RAMI UT EGO INSERAR. *Bene: propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas:* NOLI ALTUM SAPERE, SED TIME. Quae si conferas cum Stephanorum symbolo facile videre erit, quid sibi velit *Oliva*, quid rami Oleastri, qui illi sunt inserti, quid decidui ex Olea palmites, quid adstans Oleae vir, quid denique ipsum epigramma, ex hisce Apostoli verbis desumptum, sibi velint, cum primus istius symboli auctor ob constanter professam religionis veritatem postea solum verterit, resque suas, cum familia Genevam transtulerit, facto ipso sui dicti veritatem afferens. Neque à Sacra hac ratione abludit ipsa etiam humanior literarum antiquitas, utpote qua constat, *Oleam* arborem Palladiam, seu * Minervae Sacram Oleique, quod eruditorum lucubrationibus inservit, productricem esse, atque adeo frugiferam: ne repetam etiam illa, quae supra diximus, facile collectu est *Stephanos* omnem suam operam ac studium Palladi, id est Musis Graecis Latinisque, hac quasi tessera voluisse dedicare, id quod ipso opere egregie praestiterunt: unde illis, ut amplissimi Thuani ‡ verbis utar:

——————————— *Tota Lycea recusos*
Egregie ob veterum libros bene grata precantur:

Tertium autem AEnigma, si vocare ita sit licitum, quo sunt usi, fuit Thyrsus, cum Lauri ramo ac Serpente circumflexis, & subjecto Homeri Hemistichio:

Βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ κρατερῷ τ' αἰχμητῇ.

Quod

* *Vide elegantissimum fabularum scriptorem Phaedrum* Lib. III. Fab. XVII. ‡ *In Poëmatio ad posteritatem.*

Quod *Robertus Stephanus* primus Regi Francisco istius nominis primo tribuit, quod aliis Regiis, qui Graeca excusère, Typographis, (Turnebo scilicet & Morello,) fuit, ut video, commune, cujus explicationem, & rationem in aliud opportunius tempus differimus, solum inpraesentiarum de STEPHANORUM GENEALOGIA, in quantum nobis hinc inde innotuit, disputaturi.

Constat jam igitur, ut puto, sufficienter, ex allatis paullo ante testimoniis, HENRICUM STEPHANUM *habitantem è regione Scholae Decretorum* Anno M. D. IXI celebrium illorum fuisse parentem atque conditorem, quemadmodum nobiscum hoc confirmat eruditissimus Paulus Colemesius in Gallia Orientali pag. m. 22. ubi etiam nihil (quod cum omnibus ceteris commune habet) addit de ejus nativitate, moribus, probitate, & quod miror, studiis, nec etiam, ut quidem oportuerat, liberorum numero. Quot aetatis suæ annos vixerit, neminem annotasse reperio: ita ut orbi litterato, nisi paucorum librorum editione, sit notus. Quo mortuo vidua ejus nupsit *Simoni Colinaco (qui in calce Elucidatorii Ecclesiastici Clichtovaeani, Henrici Stephani se successorem, vocat* citante Nobiliss. B. Malincrotio de Art. Typogr. cap. 14. pag. 96.) Celebri etiam tunc temporis apud Parisienses Typographo, quod quo anno factum sit, minime determinare possum, nihilominus si conjecturae locus sit: putarem circa annum M. D. XIX. vel XX. factum, siquidem *Henricum* vixisse, si editionibus habenda fides, anno M. D. XVIII. Eusebii editio ab ipso tunc profecta testatur: imo editio versionis antiquissimae & optimae Theodoreti, quam curavit Parisiis anno 1519. Henricus Stephanus, ejus, quo nos magistro usi sumus, avus, ut refert Fredericus Sylburgius, in Praefat. Theodoreti

M. D. XCII.

M.D.XCII. apud Commelinum editi. Accedit, quod anno 1521 Boëthii Arithmeticam excusserit in folio, cujus in fronte addit, se è regione Scholæ Decretorum habitasse, quod ego explico in domo Henrici Stephani.

Floruit hic Colinaeus diu, multosque impressit libros, ut iis notum est, qui saepius Bibliothecas illustriores instructioresque perlustrarunt. Atque haec de HENRICO STEPHANO primo, *Stephanorum auctore*, qui moriens liberos hosce reliquit.

ROBERTUM.
FRANCISCUM.
CAROLUM.

Pergimus jam ad Henrici primi seu senioris filium, à quo Sammarthanus, ut jam diximus, initium facit, ROBERTUM STEPHANUM cum aliorum, tum suis scriptis (* *nullus enim constanti unquam gloria claruit, nisi ex suo, vel scripto alieno)* longe celeberimum; quorum postea indiculum subjungemus, in praesenti enarraturi laborum ipsius principia, quae ab incunabulis propter injuriam temporis cum repetere non possimus, exinde saltem incipiemus, unde ex ipsius verbis licet. De nativitatis tempore nihil certi constat, verum si ab anno mortis ejus retro computaveris, nativitatem in annum M. D. III. incidere comperies. Quaenam hujus pueritia, quaenam adolescentia, quonam usus praeceptore, quo fuerit loco educatus, non constat, licet verosimile sit, Parisiis haec omnia esse peracta.

Si itaque ad ejus proprios labores procedamus, primus sese refert Anno M. D. XXII. Typographeio vitrici sui Simonis Colinaei praefuisse, exsistente etiamnum

* *Ioan Sarisberiens de Nug. Curial. lib.* I. *Prol.*

num adolescente, ut suspicor XIX. admodum annorum: quare semper sum miratus, ipsum nusquam in suis scriptis patris sui mentionem fecisse; cum tamen ea fuerit aetate, ut ipsum noscere, cumque eo loqui, & consilia de vitae studiorumque recta institutione inire potuerit. Ubi igitur hic per aliquot annos jam Typographei curam administrasset, ipse Officinam exstruxit. Quam adornaturus vir probus & pius, *Juvandae Ecclesiae Dei natus*, ut cum Beza loquar, Biblia typis suis imprimere cum decrevisset; primum, inquit, se perlustrasse Bibliothecas urbis Parisiensis pervetustas, alteram, quæ est apud D. Germanum à pratis, alteram, S. Dionysii; quod Monasterium S. Dionysii à prato ad exemplum Fuggeri etiam habuit Typographeion *in via Amygdalina ad veritatis insigne*, Parisiis Anno M. D. LXXI. ut mihi constat ex *carmine de arte Rhetorica confecto à Franc. le Picard in eo excuso.* Deinde ipse, ut erat literarum Hebraicarum etiam gnarissimus, novam versionem confecit, & cum aliis manuscriptis contulit. Quod opus omnibus partibus & numeris perfectum & consummatum ut excuderet, ex Hispania suis sumptibus sibi adferri curavit Biblia illa Hispanensia à Leone X. Pontifice Maximo tantopere laudata, quibuscum suam etiam translationem, ut & cum aliis manuscriptis, tum undique corrogatis impressis Bibliis, de novo comparavit, & omnes variantes, ut vulgo vocantur, lectiones non modo selegit, sed etiam collegit, ac duos in quaterniones conjecit, quod à se peractum Anno M.D.XXIV. in præfatione Bibliorum ab Eo M.D.XXVII. excusorum, ipse testatur. Quam diligentiam in eruendis Sacris indies auxit: nam Anno M. D. XXVII. M.D. XXXII. M.D.XXXIV. M.D. XL. M.D.XLIV. M.D.XLV. M. D. XLVI. Nova edidit Biblia, cum plurimis ejus an-

annotationibus, quibus primo celebre collegium illud Sorbonicum, alioquin doctiſſimum, pergraviter offendit, quapropter deinceps, ut offenſionem iſtam leniret, aliamque effugeret, earum plurimas praetermiſit, quemadmodum id ex Bibliis M. D. XL. impreſſis quam evidentiſſime videmus, quorum Praefatio oſtendit & enumerat, quot exemplaria manuſcripta, quot codices vetuſtiſſimae editionis in emendationem adhibuerit; quo vel ipſo labore omnibus necdum ſatisfecit, ſed è contrario plurimas rixas atque contentiones ſibi cum Theologis Sorbonenſibus (adverſus quos eum *Petrus Caſtellanus* defendit, quae cauſſa fuit quare etiam haereſeos fuit accuſatus, teſte Thuano ad A. 1547.) excitavit, idque quidem per viginti annos; quod tamen ſatis admirari nequeo, cum ſemper *Franciſcum Vatablum* in conſilium, ubi Sacra quaedam ederet, advocarit: imo ſuas notas atque animadverſiones, ſuppreſſo proprio, honoris, amicitiae, nec non forte invidiae declinandae gratia, ſub *Vatabli* nomine ediderit, ut *Arnoldus Botius* in indice Auctorum Animadverſionum in Vet. Teſt. abunde docet. Meminit hujus Hiſtoriae etiam celeberrimus Rivetus in Iſagoge ad Scripturam Sacram Capite XII. §. II. cujus verba adſcribere non erit oneri. *Qui*, inquit, *primi ei* (Roberto Stephano) *bellum indixerunt fuerunt Pariſienſes Theologi Sorbonici, qui eo nomine Robertum Stephanum de litteris Sacris & Prophanis tam bene meritum hoſtili animo ſunt perſequuti, donec tandem, ut pericula vitaret, coactus fuit vitae ſuae conſulere, mutato ſolo & patria relicta, ut libere Genevae, Eccleſiae Dei inſerviret.*

Adſcribam, ſic pergit Rivetus, de ea re verba Ampliſſimi Thuani Hiſt. l.23. ad annum 1559. *Migrante* (inquit) *ad Deum optimo non ſolum Principe* (de Franciſco.

cisco I. loquitur) *sed literarum fautore & parente eximio, indigna bene merito de patria civi*, (Roberto Stephano) *tot editis Hebraicis Graecis & Latinis libris, gratia repensa est à Theologorum nostrorum Collegio, qui hominem rei publicae invigilantem, & quasvis aequas conditiones accipere se paratum demonstrantem, non desierunt lacessere donec ille vexationum injustarum pertaesus, ex necessitate consilium coepit, & relicta patria, Genevam ad extremum se contulit, ubi tanta prudentia publicam simul & privatam rem curavit, ut quamvis tot adversitatibus conflictatus & incommoditatibus, quae solum vertentibus necessario perferendae sunt, tamen in opere assiduus ad ultimum usque vitae spiritum, rei litterariae adjuvandae propositum constanter tenuerit &c.* Quae omnia peracta sunt Regius Typographus cum jam exsisteret, magni illius Francisci Primi, qui nescio quot non Diplomatis & Epistolis Collegium istud Sorbonicum admonuit, ut, si quid haberent in scenam publicam proferrent, quod tamen semper procrastinarunt, donec tandem coacti illas, quae hodie cum Responsionibus ejusdem *Roberti Stephani* circumferuntur, censuras, protulerint, de quibus curiosus lector fusius videre poterit in praefatione responsionibus iis praefixa, ubi ratio, & tempus, & ordo pluribus exponuntur. Errat itaque clarissimus ille Bernardus Malinkrotius, quod caussam exsilii statuat inposturam in Vatablum. Verba ejus in gratiam & commodum aliorum adjicere non abs re judicavimus: *post Aldum* (inquit) *maxime celebris fuit Robertus Stephanus Parisiensis Typographus, eruditione Aldo par vel superior, nec enim tantum omnis generis egregios codices elegantissime excudit verum etiam ipsemet multa haud indocte conscripsit, quae inter facile excellit linguae Latinae Thesaurus duobus praegrandibus Tomis anno 1545. Parisiis emissus.*

sus. Gratius hujus viri nomen esset, nisi impostura in Franciscum Vatablum commissa, ob quem solum vertere, ultionem praevertens, coactus fuit, existimationem suam laesisset.

Non multum hujus sententiae refutationi inhaerebimus dum unusquisque sufficienter poterit contrarium videre qui sequentia de Vatablo ac Stephano testimonia perlegerit: sic enim. * *Rob. Stephanus Lectori in Bibliis à se A.* 1540. excusis, inquit:

Dedimus operam haud mediocrem ut Fr. Vatablus Hebraearum literarum Professor Regius doctissimus, & in Architectonice non vulgariter exercitatus, vobis ob oculos poneret Tabernaculi Mosaici, Templi Salomonis, & praecipui eorum instrumenti difficillimam & obscurissimam constructionem. Quod quam libenter & alacriter publicae utilitatis causa praestiterit summus ille vir, certo scimus: quam exacte vero & perite tu cognosces. Est enim Fr. Vatablus praeter multarum rerum cognitionem, summo & acutißimo judicio praeditus, in his praesertim quae ad germanam & liberalem Bibliorum interpretationem pertinent. Quam rem dum mecum paullo accuratius considero, non possum non petere à Deo Opt. Max, ut per longam & incolumem vitam, liceat Vatablo nostro aliquid memoriae prodere, quod libros V. T. faciliores reddat. Et haec sane meo judicio imposturam non sapiunt. Quid? longe aliter sentit *Iehan Porthaise dans sa Parasceue à l'Examen de l'Eucharistie p.* 48. *Ie conjecture Vatable avoir esté alteré par Iehan le Iard & par Robert Estienne.* Imo ipse Josephus Acosta in libro de Natura Novi Orbis Salamanticae, excuso Anno 1589. pag. 33. dubitat cuinam notas tribuet Stephano an Vatablo, sic enim inquit.

Robertus Steph. vel potius Fr. Vatablus vir Hebraice doctissimus, ut ego à praeceptore discipulo illius accepi, in

* *Colomes. Gall. Or. pag. 9. & 11.*

Scholiis ad cap. 9. libri Tertii Regum, &c. Quae si bene perpendam, qui impostura in Vatablum in causa esse potuerit, nullus video, praesertim cùm tanti fecerit eum, imo alii judicent, nostrum Robertum Stephanum Franciscum Vatablum, sua haeresi quasi imbuisse. Quod alii, inter quos Joannes Possevinus in Apparatu suo sacro pag. 597. plane negant. Ille enim adstruere conatur versionem Bibliorum, quae in Galliis praecipuè circumfertur, non esse Fr. Vatabli, verum quorundam illius discipulorum; imo subjicit ex Genebardo Franciscum Vatablum, ea suppositia editione sic fuisse offensum, ut protinus Robertum Stephanum ad se vocari jusserit, & vehementer in ipsum invectus fuerit, quod eam versionem sub ejus nomine edidisset; cujus caussam expostulatam reddere declinans, addit eum Genevam profugisse, surreptis secum characteribus Regiis, quapropter Lutetiae *in straminco simulachro ustus est, quod vivus capi non potuerit.* Quod factum Anno 1547. refert. Doctiss. Morerus qui sua ex Possevino desumpsisse mihi persuadeo. Veruntamen vehementer errasse hos auctores putarim, nam ex editionibus librorum demonstrare possum, Robertum Stephanum anno 1551. adhuc Lutetiae Typographicam artem exercuisse. Respici potest Novum illud Testamentum tantopere Laudatum cum variis, ut vulgo vocantur, lectionibus Lutetiae MDL. in folio editum, referens ipsum tunc temporis Regis Typographum exstitisse. Adde Caroli Stephani librum de nutrimentis M. D.L. excusum, & Dionem Nicaeum Graece M. D. LI. Lutetiae impressum. Quare mea potius esset opinio, ipsum hoc anno MDLI. discessisse. Sed quid de raptu characterum dicemus, cum tot auctores de exsilii anno atque caussa ita dissentiant: nihil

hil enim ego crediderim absurdius magisque fidei absonum, quam tale quid à tam pio ac probo viro esse perpetratum; quandoquidem satis nummorum habuit satisque temporis, ut novos elegantesque characteres sibi comparare potuerit. Deinde illi qui tum temporis ei adeo infesti fuere hostes, satis exacte ejus manus observarunt, ne quidpiam, quod ad Regiam Officinam diceretur pertinere, secum auferret. Verum enim vero non opus est eo recurrere. Quaeram enim ex illis, quibusnam characteribus tot impresserit libros priusquam ad hoc munus esset provectus; certe si non suis, saltem non Regiis, nec quare non suis video, quis enim ei per tot annos tam elegantes ac nitidos characteres commodasset. Sed vitricus ejus *Simon Colinaeus* & *Franciscus Stephanus* nostri frater fuere ibidem Typographi: certe longe honestius & tutius illorum characteres potuit, soluto pretio, secum Genevam portasse. Et, ne ulterius pergam? Quibus Regiis typis *Carolus Stephanus* ejus frater, anno 1551. Regius Typographus Appianum Alexandrinum Graecis, Epistolas Bunelli, Latinis characteribus excudere potuisset, si *Robertus* eos abstulerat, unde jam satis evidenter patere puto, illud maledictum conjectum in *Robertum* fuisse, quia haereseos non modo suspectus, verum etiam damnatus fuit. Nam de eo si quid constaret, saltem Thuanus summus ille Historicus aliique plures, hujus mentionem fecissent, quod tamen me legisse non recordor. Verum illa exactius ad incudem revocare non est hujus loci nec temporis.

Ceteros (ut ad propositum redeam) circa Biblia quos adhibuit, labores, sumptus curasque, enarrat ipse in prologis Bibliorum 1545. aliisque annis impressorum. Tempus autem, quo ad τυπογραφίον Βασιλικὸν

Rex *Franciscus* (qui anno M.DXIII. incoepit regnare) nostrum *Stephanum* provexerit, pro certo assignare (ut cum Plinio loquar) non audeo: si tamen omnes respiciam libros, quorum ex prologis & praefationibus totum hoc opusculum concinnatum est, non video ipsum eo nomine, nisi in initio anni M.D.XL. vel in fine, M.D.XXXIX. fuisse usum; Hinc Verisimile puto, à rege Officium illud, seu quemadmodum ipse loquitur, munus ei esse impositum, Hebraea & Latina (in Graecis enim *Conradus Neobarius* cui forte successit & postea *Guilielmus Morellus* & *Adrianus Turnebus* fuere Typographi Regii) imprimendi, quod probo *ex Prophetis* XII. *minoribus Hebraice cum commentariis* R. Kimchi *ex emendatione* F. Vatabli, *apud* R. Stephanum *impressis*. Quorum quosdam anno M.D.XXXIX. quosdam M.D.XL. excudit, adjecto *Regii* epitheto: his addo Biblia eodem anno excusa omnesque, quos mea capit Bibliotheca, libros, post eum annum ab eo editos, omnes hoc *Regii* epitheton referentes, cum nullus è diverso ante annum M.D.XXXIX. impressus liber illud, quantum hactenus mihi cognoscere licuit, exhibeat. Quod beneficium grato animo ut agnosceret & suo, si dici liceat, nonnihil tanti Regis munificentiae, remuneraretur modo, hoc magni illius Regis laudis praeconium Ciceronis praefixae admonitoriae Epistolae inseruit: *Nam primo* (sc: Rex Franciscus) *magistros optimarum artium ac literarum homines doctissimos, magnis propositis praemiis, in hoc amplissimo orbis Terrarum Gymnasio, quo omnes undique studiorum caussa conveniunt, constituit. Deinde omnes semper ad bene & naviter agendum excitavit, cum quos multum profecisse in literis cognosceret, iis munera atque honores mandaret; reliquisque ita praescriberet, quid sperare à se & exspectare*

de-

deberent, cum ad aliquam scientiae ac literarum commendationem pervenissent. Qua ratione perfectum est, ut omnis fere Galliae nobilitas, quae antea Doctrinae opinionem sibi indecoram falsa persuasione ducebat, ea nunc cum armorum & bellicae rei exercitatione literarum etiam studia conjunxerit. Postremo amplissimam omnis generis Librorum Bibliothecam, Hebraicorum, Graecorum, ac Latinorum maximis sumptibus instruxit, ac quotidie instruit: ut in eo Ptolemaei etiam atque Eumenis regum studia longe superet. Illi enim vana quadam opum ostentatione, quos uno tantum loco, Pergami aut Alexandriae, conclusos & quasi captivos haberent, libros undique conquirebant; cum alter etiam alteri invideret, eoque Ptolemaeus, ne numero scilicet vinceretur, chartas, quas sola tunc AEgyptus suppeditabat, supprimeret. Ipse autem tantum abest, ut quae ex Italia & Graecia maximis & plane Regiis sumptibus comparavit veterum scriptorum monumenta, ea cuiquam inuideat, ut ultro etiam illa omnibus impertire atque offerre in animo habeat. Hucusque *Robertus Stephanus* de laude *Francisci* primi, quem omni occasione in coelum laudibus, iisque meritissimis, evehere non praetermittit, quarum enumeratio lectori minus grata, mihi vero nimis longa molestaque foret. Haec tamen dicere brevibus debuimus, ut innotesceret quaenam Studiorum in Galliis fuerit origo atque propagatio, quam quanto studio quantaque curâ fovet, tuetur, atque indies omnibus modis adaugere conatur hoc nostro tempore, qui vinci nescit, ille strenuissimus, & Christianissimus Gallorum Rex *Ludovicus* XIV. Quis hominum ignorat? quis, qui ad aliquod scientiae ac litterarum culmen pervenit, non experitur. Quippe ad exemplum mox memorati *Francisci* I. Doctissimorum totius Europae virorum operas

non modo ampliſſimis ſtipendiis redimit, ac labores compenſat, verum ultro liberaliſſimis donis eos perfundit atque excitat. Fratres, Sororeſque quot *Robertus Stephanus* habuerit, uſpiam me legiſſe non ſuccurrit, uti nec quae fuerit ejus Mater. Sed antequam pergam, huic loco interponere debeo, me diu haeſitaſſe, quemnam, in ordine *Stephanorum*, locum tribuerem CAROLO STEPHANO, Viro ſanequam arte Typographica, (fuit enim ut liquet ex omnibus ejus editionibus etiam *Typographus Regius*. Quanquam impreſſorum Librorum non magna copia exſtat,) ut ſtatim demonſtrabimus, clariſſimo. Perſuaſeram mihi, ac tam diu in ea fui opinione, eum fuiſſe *Roberti* filium, donec tandem ſcrupulum hunc, qui remanſerat, mihi ſuſtulerit Doctiſſimus *Jodocus Verheyde* in ſuis virorum Doctorum elogiis, ſcribens hunc *Carolum* fuiſſe *Roberti* primi fratrem, cui etiam meum calculum adjeci, poſtquam ejus Annotationes, ac ſummaria è Bayfio de Vaſculis, nec non de Re Veſtiaria Anno M. D. XXXV. iterata editione *Roberti Stephani* typis excuſas, videram; quae, ſi fuiſſet *Roberti* filius, nullo modo prae aetate nimis matura, potuiſſet praeſtitiſſe. Miratu ſane dignum eſt, quod tam pauci auctores hujus meminerint, imo magis, quod vel ipſe fratris ſui *Roberti* vel *Robertus*, *Caroli* germani fratris rariſſimam mentionem faciat: Nepos tamen ejus *Henricus* ille pernotus in dialogo ſuo, qui pſeudocicero inſcribitur, verbo licet, rem ſatis clare exponit, ubi agens de patre ſuo *Roberto Stephano*, addit *Carolum Stephanum*, ejus fratrem fuiſſe. Pauci imo fere nulli ſcriptores hujus Caroli meminere. Scaevola tamen Sammarthanus in vita *Petri Bunelli*, inquit, *Carolum Stephanum* de literis bene meritum, ejus *Bunelli* Epiſtolas, velut naufragii reliquias, collegiſſe,

atque

atque in lucem emisisse. Peregrinatus est etiam idem *Carolus* aliquando per Italiam, nam & Romae, & Venetiis se fuisse in libello de vasculis, ipse auctor est. hinc *Paulus Manutius Antonio Rolando* scribens, hanc subjungit salutis impertitionem: *saluta eum* (Turnebum nempe de quo proxime locutus est.) *meis verbis veterrimo amico meo spectatae virtutis & industriae Viro*, Carolo Stephano. Nomen, praeter artem Typogaphicam, *Carolus Stephanus* sibi fecit, variis libris conscriptis, inter quos eminent & exstant *Dictionarium Latino Graecum* maxima ex parte vel ipso fatente, ex *G. Budaei* Commentariis desumptum, ab eodem *Carolo* M. D. LIIII. excusum in quarto. Huic adde *Dictionarium Historico - Geographico - Poëticum.* Cujus prima fundamenta posuisse *Robertum Stephanum*, plurimi docti licet quidam negent, non sine caussa arbitrantur!. nam primo sub nomine *Elucidarii Poëtici Robertus Stephanus* divulgavit ac tandem magis magisque à variis auctoribus auctum, sub Dictionarii nomine maximi usus, jam ultimo Oxonii M. D. CLXX. in folio prodiit. Praemiserat iis *linguae Latinae Collationem cum Graeca*, quam ad institutum Dictionarii laborem prope accedere sibi visum ait in praefatione isti collationi praefixa. Praeter haec composuit *Praedium Rusticum editum.* M. D. LIV. in octavo: *Annotationes in Baifium paullo ante* memoratas. *Notas uberiores & Scholia in Terentii Andriam*, quas impressas habeo apud *Franciscum Stephanum* & *Simonem Colinaeum*. Anno M. D. XLI. in octavo. Edidit quoque *Thesaurum Ciceronianum*, ab eo Parisiis anno M. D. LVI. in folio excusum. Legi & relegi magna animi cum jucunditate, magnoque cum fructu, *ejus Anatomiam totius Corporis humani* (Medicinae namque Doctor fuit) accuratissime, prout

illa ferebant tempora, descriptam (quam suo nomine Riverius quidam Chirurgus ediderat) Anno M. D. XLV. apud *Simonem Colinaeum* impressam. Exposuit quoque in quodam libello naturam *nutritionis* seu *lactis* & *casei*, quae omnia medico sane jucunda & utilia lectu sunt. Horum numero adjungi debet, *L'agriculture & Maison rustique de M. Charles Estienne Docteur en Medicine. En la quelle est contenu tout ce que peut estre requis pour bastir maison champestre, prevoir les changemens & diversitez des temps, mediciner les laboureurs malades, nourrir & mediciner bestial & volaille de toutes sortes, dresser jardin tant potager, medicinal, que parterre, gouverner les mousches à miel, faire conserues, confire les fruicts, fleurs, racines, & escorces, preparer le miel, & la cire, planter, enter, & mediciner toutes sortes d'arbres fruictiers, faire les huiles, distiller les eaux, avec plusieurs poutraicts d'alembics pour la distilation d'icelles, entretenir les près, Viviers & estangs, labourer, les terres à grains, façonner les vignes, planter boys de haute fustaye & taillie, bastir la Garenne Haironniere, & la parce pour les bestes sauvages.* Plus un Bref recuel de chasses du Cerf, du Sanglier, du Livre, du Regnard, du Blereau, du Counin, & du Loup: & de la Foncormerie.

A tres hault & trespuissart Seigneur, Messire
Anthoine de Crussol, Duc d'Uzes.

A Montluel M. D. LXXII. in quarto. Sequentes, ex Catalogo quodam Gallico omnes libros Emporii Francofordiensis referente, descripsi: *Charles Estienne Les Abusez, Comedie des Professeurs de l'Accademie Sienoise nommez Intronati, Celebres ez jeux d'un Caresme prenant à Sienne, Traduite de Tuscan.* A Lyon

Fran-

Francois Juste M. D. XLV. in XVI. Item *Charles Estienne Abrege de l'Historie de Vicomtes & Ducs de Mylan, extraict en partie du livre de* Paulus Jovius, à Paris chez l'Autheur mesme M. D. LII. in quarto. ———
Discours des Histoires de Lorraine & des Flandres au Roy Henry II. à Paris ibid. M. D. LXI. in quarto. item *Charles* Estienne *Paradoxes ou propos contre la commune opinion, debatus en forme de declamations forenses, pour exerciter les Jeunes esprits en causes difficiles.* à Paris chez l'Auteur mesme, in octavo. M. D. LIV. ——— item *Paradoxe que le plaider est chose tres utile & necessaire à la vie de l'homme*, ibid. praeter recensitos Monsr. la *Croix* du Maine sequentes enumerat.

Il à traduit ou plustost paraphrase de Latin " en François la Veterinaite de P. Vegece touchant " les maladies chevaux & leurs remedes ou guari- " son. "

Il à escrit un traicté particulier de la description " d'un chacun oyseau de proye, desquels livres il " fait mention en sa maison rustique. "

La guide des chemins pour aller & venir par tout " le Royaume de France, composée & imprimée " l'an 1553. par luy mesmes avec le Catalogue des " fleuves & Rivieres de France, &c. "

Il promettoit une autre guide generale à l'imita- " tation d'Antonin, non encores imprimee. "

Qui omnes an Gallico, an Latino sint conscripti sermone, mihi latet; veluti an plures libros conscripserit, quos facile, qui alios noverunt, hisce poterunt adscribere. De Matrimonio Caroli Stephani nihil nobis constat, nisi quod habuit filiam *Nicolaia* nominatam, quam in uxorem duxit Doctissimus *Joannes Libaut* Medicinae Doctor, qui soceri sui librum *Maison rustique* inscriptum plurimum auxit. Laudi cum

Libautii, cum domus Stephanicae, quae feliciſſima fuit in producendis viris ac mulieribus doctiſſimis; maxime vero *Nicolaiae Stephani* merito detrahere ſummum dicerer ſi elogium, quod Monſr. la Croix du Maine de illa profert ſupprimerem, ſic enim ille p. 358.

„ NICOLE ESTIENNE. Pariſienne, fille de *Char-* „ *les Eſtienne*, & femme de *M. Jean Liebaut*, tous deux Docteurs en Medecine, deſquels nous avons „ fait mention cy-deſſus, enſemble de *Jaques Grevin* „ Medecin, lequel eſcrivit en ſa faveur les Amours „ d'Olympe, &c.

„ Elle a eſcrit pluſieurs Poëſies Françoiſes non en- „ cores imprimées & entre autres les reſponſes aux „ Stances du mariage eſcrites par Ph. des P.

„ Le meſpris d'Amour, non encores imprimé, non „ plus que les ſuſdittes Stances.

„ Davantage elle a compoſé une Apologie où de- „ fenſe pour les femmes, contre ceux qui les meſpri- „ ſent. Ce livre eſcrit en proſe, & n'eſt encore im- „ primé.

„ Elle floriſt à Paris cette l'année 1584. Je feray „ plus ample mention d'elle autre-part & plus à „ propos.

Haec ſunt, quae de *Carolo Stephano*, Viro Doctiſſimo atque etiam diligentiſſimo, hoc tempore nobis innotuere. Sed antequam revertimur ad *Robertum*, Verbo interponere debeo, de FRANCISCO STEPHANO, quem hactenus filium *Roberti* fuiſſe opinatus ſum. Attamen dum rem bene perpendo, video duos *Franciſcos* fuiſſe; Alterum *Roberti* fratrem alterum filium; quod ex *Caroli Stephani* Librorum, qui *Pratum*, *Lacus*, *Arundinetum*, inſcribuntur, editione, probo: ubi legitur: *Pariſiis apud Simonem Colinaeum & Franciſcum Stephanum ejus privignum in octavo* M. D. XLIII:

quî

quî enim privignus foret nisi *Roberti Stephani* quem etiam privignum vocat, esset frater. Insuper ex Terentii Andria plurimis referta commentariis *Caroli Stephani*, quae impressa est, apud *Franciscum Stephanum* & *Simonem Colinaeum* in octavo, Anno M. D. XLI. Et cum diligentius meam Bibliothecam revolverem, inveni *Caroli Stephani* Librum, cui titulus, *Sylva, Collis, Frutetum*, à *Francisco Stephano*, anno. M. D. XXXVIII. Jam modo fuisse impressum: unde meridiana luce clarius patescit, hunc *Franciscum Stephanum*, *Roberti* fratrem fuisse: hujus veritas ex annorum supputatione quoque nullo negotio adstrui potest. Sed illa forte alias. Absolutis iis, quae de fratribus nobis nota erant, de affinibus haec suppeditant Libri *Budaei* de Asse, quos, (ut in Titulo habetur) *imprimebat Michaël Vascosanus sibi, Roberto Stephano, ac Johanni Rogny, affinibus suis.* Hujus Vascasoni tam splendidum exstat elogium apud Monsr. la Croix du Maine, ut huc transscribere dignum censuerim.

« MICHAËL DE VASCON, l'un des plus celebres & des plus renommez libraires & imprimeurs « non seulement de Paris (auquel lieu il faisoit sa residence) mais encores de toute la France, tant pour « son sçavoir que pour toutes les autres perfections « requises en l'art d'Imprimerie: car tous les livres « qu'il imprimoit estoient recommandables, tant pour « les Autheurs d'iceux, pour les beaux caracteres, & « le bon papier, pour la correction, & pour la belle « marge: enquoy nous avons cy devant loüé, le E- « stiennes & Mamert Patisson leur allié, & encores « les Morels, pere & fils, duquel le gendre s'appel- « loit Federic son principal heritier. «

« Le dit Vascosan florissoit soubs les regnes de « François I. Henry II. & Charles IX. Roys de France, «

„ ce, & eſt mort ſoubs Henry III. au grand regret de „ tous amateurs des bonnes lettres.

Ceterum de iis aliquid amplius dicere cùm non habeamus, quod ad illuſtrationem faciat, jure merito revertimur ad *Robertum*, cujus nomen longe lateque per orbem pervagatur. Fuit hic gener celebris etiam Typographi JODOCI BADII, qui praeter alia bene multa ſcripſit commentaria in Marci Fabii Quintiliani Inſtitutiones oratorias, (quas cùm omnium virorum doctiſſimorum notis integris, & à pluribus, imo fere innumeris mendis repurgatas, Deo vitam & otium concedente aliquando edere conſtituimus) quorum ex Epiſtola dedicatoria percipio, eum anno M. CCCCXII. publice bonas artes docuiſſe. Hujus tantus in ſtudia fuit amor, ut ipſas etiam filias ſuas latinam Linguam edocuerit, ipſo hoc *Henrico Stephano* fatente, cujus, filio ſuo *Paulo* ſcribentis, haec verba ſunt: * *Aviae autem tuae eorum quae Latine dicebantur (niſi rarius aliquod vocabulum intermiſceretur) haud multo difficilior erat intellectus, quam ſi dicta ſermone Gallico fuiſſent.* Hoc idem commemorat in elegantiſſima ad lectores praefatione Poëtis Heroicis praefixa, quod profecto raro contingentibus exemplis merito accenſeri poteſt, debetque. Huic Avo ſuo (quem Anno 1528. adhuc dum vixiſſe conſtat) JODOCO BADIO elegantiſſimis hiſce epitaphiis parentavit ex filia Nepos *Henricus Stephanus*, quae propter elegantiam non potui non adſcribere:

* *In Epiſt. dedic. Agell.*

ΙΟΔΩΚΟΥ ΒΑΔΙΟΥ

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

Κεῖνος ὁ καὶ Μούσαις καὶ Ἄρηϊ φίλτατα ποιήσας
Παρισίοις Βάδιος κεύθεται ἐν δαπέδῳ.
Βίβλους μὲν Μούσαισιν, Ἄρηϊ δ' ἄρσενας υἷας
Ἔργανα εἰρήνης, ἔργανα καὶ πολέμου.
Καὶ τάχα δ' ἔσκε πατὴρ ἴσων παίδων τε βιβλίων τε,
Εἰ, ὅτε βιβλοθηκεῖν, ἤρξατο παιδοθηκεῖν.

JODOCI BADII

EPITAPHIUM.

Hic, *liberorum plurimorum qui parens,*
Parens librorum plurimorum qui fuit,
Situs Jodocus Badius *est* Ascensius.
Plures fuerunt liberis tamen libri,
Quod jam senescens coepit illos gignere,
AEtate florens coepit hos quod edere.

EJUSDEM ALIUD.

Hac tumulatus humo, sibi qui, jam fessus ab annis,
Sponte Typographicum congeminavit onus:
Luci dum libros, librisque ferentia lucem
Scripta sui foetus tradidit ingenii.
Quae digna esse sua nobis est laude fatendum,
Digna suo ut seclo nemo negare potest.

Liberos tam masculini, quam sequioris sexus, quot *Roberto* dederit ejus uxor, hactenus investigare non potui, eos tamen, quos hinc inde collegi, recensebo, quorum omnium, nam foris gloria dives, & domi liberis, decessit; memoratissimus ille *Henricus, hinc usque ad sidera notus*, alter *Franciscus* minus celebris; ambo tamen Typographi, licet perpauci apud *Franciscum* impressi, ut in indice librorum videre est, reperiantur libri. Meminit hujus *Monsr. la Croix du Maine dans sa Biblioth. Robert Estienne Parisien estoit fort docte es langues Hebr. Grecs. & Latine & outre cela en la Françoise en laquelle il a composé un Traité de Grammaire imprime par luy mesme (- & depuis par un de ses fils nommé* FRANCOIS l'an M. D. LXIX. unde etiam liquet duos *Franciscos* alterum *Roberti* fratrem alterum Filium extitisse. Hic *Franciscus Stephanus Roberti* filius Genevae adhuc impressit libros A. M. D. LXXXII. Verum nihil ulterius mihi de eo innotuit. Consentit hic vir illustris B. Malincrotius de inventione artis Typographicae capite secundo. Filias autem plures habuisse, conjicere licet ex verbis *Henrici Stephani* filium suum *Paulum* exhortantis in Epist. Aulo Gellio praefixa. *Quid de superstite, sorore mea, amita autem tua, nomine* KATHARINA, *dicam? Illa quoque eorum quae*

La-

Latine dicuntur interpretem non desiderat ; multa vero & ipsa eodem loqui sermone potest , & quidem ita , (licet nonnunquam impingat) ut ab omnibus intelligatur. Unde illi haec Latinae Linguae cognitio? Artem certe Grammaticam haud magistram habuit , nec alius illi hac in re quam usus praevius. Et quoniam hunc in sermonem incidi , ut scias quam facultatem discendi Linguam illam familia , quae mihi paterna est , suppeditarit , audi rem oppido quam dignam ; quae inter illius familiae memorias (ut Gelliano utar vocabulo) *referatur. Fuit tempus cum avus tuus* Robertus Stephanus, *Decemviratum quendam Literarium domi haberet ; eumque ut* παντεθνῆ, *ita etiam* πάγγλωσσον. *Nam ut ex omnibus nationibus conflatus, ita etiam omnium Linguarum erat. Decem hi , partim Literati , partim Literatissimi Viri , quorum quidam correctorio munere fungebantur (iique praesertim qui Epigrammata postremae ejus* Editioni *Thesauri praefixerunt) quum sicut ex diversis oriundi erant gentibus , sic etiam diversum sermonem vernaculum haberent , Lingua Latina tanquam communi interprete inter se utebantur. Ac cum ex his* 10 , *modo hos modo illos famuli pariter & famulae de rebus quae ipsi ipsæve vel noverant vel saltem conjectare poterant , colloquentes , quin etiam in mensa quotidie cum de aliis , tum vero iis , quorum illa solet argumentum suggerere , sermonem habentes audirent , ita suas paulatim aures verbis illorum assuefaciebant , ut non solum plerique eorum quae dicebantur intelligere, sed quaedam etiam eloqui valerent.* Hanc Historiam tam eleganti carmine , ut & laudem Officinae *Roberti Stephani Joannes Auratus* Regius Poëta complexus est , ut utriusque laudi defuisse dicerer , silentio si vel involverem ; vel non subscriberem ; exstat hoc apud *Goldastum* in Epistolis Philologicis pag. 253. unde deprompsi.

In-

Inter tot hac aetate belle qui typis
Cudunt minutulis libros,
Primas Roberte Stephane *tu partes tenes,*
Reclamitante nemine.
Seu quis requirat literae elegantiam,
Caesis in aes è formulis
In plumbeas abire jussam tesseras,
Vulcania juvante vi.
Seu linearum nobilem symmetriam,
Oculos quod acreis plurimum
Juvet legentum, haud indecenter omnibus
suum tenentibus locum.
Versus spatiolis rite distinguentibus,
Parvis perinde ut areis,
Quas hinc & inde susque deque continent,
Cohibentque certi margines.
Seu quis (quod ad rem pertinet vel maxime,
Quam quaerimus) solertiam,
Ac diligentiam sagacem postulet,
In eluendis omnium
Naevis librorum, ne qua labes sordium
Doctorum operibus insidens
Obstaculo sit imperitioribus,
Doctisque bilem conciat.
Inusitatum ô hominis erga litteras
(Humaniores quas vocant)
Propensionem meritis. O animum viri
Nullo silendum tempore.
Seu sit superstes, seu fuisse dii velint:
Solerte qui cura libros
Excudit, expolitque tanta, nec sinit
Circumsideri erroribus,
Aut occupari crassa quos inscitia.
Et obsoleta spurcitas

Lin-

Linguae profudit ante lapsis seculis
Tum cum nitor sub pedibus &
Sermonis apparatus esset (pro nefas)
Simul omnis eruditio:
Expulsa terris quae per hominum inertiam
Humana corda fugerat.
Gentes ut execrata quondam ferreas,
Post aurea atque argentea
Peracta secla, dicitur novissima
Liquisse praepeti pede
Astraea terras, quam Pudor & Integritas
Recti bonique praesides
Sunt insecutae, non reversurae, nisi
Criminibus indicta fuga.
Sic effugarat, quicquid in terris erat
Tunc litteraturae bonae.
Aetas parentum rustica atque inelegans,
Cum dira labes haec statim
Veterum occupavit expolitas schedulas
Unde, nisi ab ignorantia
Profecta? ceterum lues haec denique
Vires eundo sic malas
Collegit, ut sincera nulla pagina
Ad nos dein pervenerit.
Cunctis dolendum quod foret nunc posteris:
Queis haud inoffense datur,
Nec sine labore plurimo ire per libros:
Aetas reliquit quos purior
Mutilos, adesos, saucios, interlitos,
Et ulcerosos undique,
Mentisque totidem pene, quot vocabulis
Turpem scatentes in modum.
Quae non parum vel eruditioribus
Nunc exhibent negotii,

Illas quotidie acriter pugnantibus
Loco movere non suo.
At ô tuarum possit hac in parte quis
Laudum invenire terminum?
Cui tanta se monimenta debent, atque tot
Quae prisca gens mortalium
Licet edidisset, nunc forent ut inedita,
Ni per laborem plurimum
Redintegrasses tu resuscitans ea,
Prope dixerim, intermortua
Roberte *literariae rei salus.*
Non ut columnis pluribus
Inniterentur tecta. Praetereuntium
Quod vertat in se lumina.
Non ut renidens tibi lacunar in domo
Fulgore verberet solum
Imaginosum. Non enim tu arti tuae
Statuis avare & sordide
Pretium: leves quod sacculos exhauriat
Scholasticorum pauperum:
Tuam frequentant qui tabernam plurimi
Plenam bonarum mercium:
Emptos ut illinc quam licet parvo libros,
Quibus opus ipsis, auferant.
Libros: heri qui diligentiam sui
In corrigendis lapsibus,
Vel ore ab ipso, ceu parentes liberi,
Testentur ac subindicent.
Quod dum assequaris, sumptibus non interim
Parcis profusioribus,
Plus publicae rei quam domesticae gerens
Curae atque sollicitudinis.
Nec me latet, quis sit status domi tuae.
Si Junius Rabirius

De te loquendo verba non mihi dedit.
Quod cur faceret? aut quomodo?
Cum vir sit (ut scis hospes ejus) & bonus,
Et elegantis ingenii:
In quoque nigri nulla mica sit salis,
Multum sed albi & candidi.
Is ipse verbis talibus (si sum memor)
Est usus ad me dum redit:
Dato libello sub tuum praelum suo,
Grato tenellis mentibus:
Quibus solidior convenit nondum cibus;
AURATE *mi, medullitus*
Quem diligo, quem plus ocellis his amo:
Qui lucis usum dant mihi.
Non tu potes videre conjectareque,
Quo nunc ab orbe sum redux?
Cum conspiceris me renidenti ore sic
Magnum fateri gaudium.
Nae tu parum vides, opinor sordium
Quam plena tibi sunt lumina.
Sed quid moror nunc eloqui, cur ita siem
Perfusus alto gaudio?
Adverte dicam. Pes refert me nunc meus
(Equi mens si sit mei)
Illinc, ubi lux ire purior mihi
Videtur, ac serenior.
(Lux literarum, dico: non diuturna lux)
Quam gentium usquam. Caeterum
Hac gratiâ illuc iveram, libellus ut
Committeretur publico.
Pueritiae quem scriptitavi in gratiam
Volentis informarier
Solennibus Linguae Latinae initiis,
Et institutis primulis.

Ut ergo talis conscius voti mihi
Et appetitus, veni eo.
Miratus urbem, doctiores & viros,
Mox me Roberti *contuli,*
Eum alloquendi cupidus, ad domum, neque
Facta est rogante me, mora,
Quin duceret me, mitteretque intro statim
Impigra servorum manus
Illuc: ubi illum repperi voluminum
Inter patentium greges,
Totum imminentem litteris, errataque
Delere & interpungere
Non desinentem, stante retro Pallade
(Tydidae ut inter praelia)
Monitrice, cujus cuncta de sententia
(Ducenda seu foret nota
Transversa, seu lacuna libris indecens.
Infercienda, replendaque,
Seu submovendum quidpiam verso stilo,
Sive quid agendum denique)
Agebat ille. Qui simul vidit procul
Ad se ferentem me gradum,
Salvere jussum me mora nulla rogat,
Quis? unde? quaque gratia?
Hic ipse oborto obmutuissem cum metu,
Adstantium quem fecerat
Conspectus eruditione insignium,
Amaeniore scilicet,
Valde virorum, qui simul consueverant
Socios laboris sedulo
Praestare sese, cumque eo pervolvere
Mox imprimendos codices:
Blande manu me prendit, ac in angulum
Seduxit, ut vacuum metu

Id,

Id, quod volebam, non puderet me loqui.
Ad me redivi tunc ego:
Votumque in ejus auribus coepi meum
Audacius deponere:
Quod expetebam, ille annuit dempta mora
Cumulumque gratiae addidit:
Quod me volentem posuit & mox in suis.
Non ante sane creditum,
Sperare nec enim venerat in animum mihi,
Fortasse non digno, boni
Tantum: verendos ponerer ut inter viros
Auctoritate laudeque
Insignis hoc, & plura liberalitas
Tamen mihi dedit viri.
Nam censuit me, de suo qui viverem,
Dignum: suisque in aedibus
Qui commorarer. Quale diversorium
O Juppiter! quam splendidum,
Quantumque amoenum! sed potißimum, quibus
Cordi bonae sunt litterae.
Quid aliud illic inter uncta fercula,
Spumas agentes & scyphos:
Quid? cum remotis pulsa jam mensis fames,
Sedavit & potus sitim?
Quid ad caminum luculentumque foculum?
Siquando Hyems inhorruit.
Quid inter opus ubi collocatur maxima
Illic diei pars citi?
Quid (tandem ut una cuncta summa colligam)
Lares beatos personat
Indesinenter, continenter, jugiter,
Et usque quaque, & undique,
Intamniata quam Latini puritas
Sermonis, & castus decor

Nempe uxor, ancillae, clientes, liberi
(Non ſegnis examen domus):
Quo Plautus ore, quo Terentius, ſolent
Quotidiane colloqui.
Haec inter animo quo fuiſſe me putas?
Quo? niſi ſolet quo ruſticus
Ingreſſus olim divitis fores domus,
Et invidenda limina?
Ut imminentia vertici ſtupet ſuo
Laquearium caelamina:
Ut inſolenti quas opes calcat pede,
Poſitoſque circum parietes
Pictos tapetas mente perculſa videt,
Perſtrictus auri fulgure
Novis ferendis impares ſpectaculis
Oculos, genaſque debiles.
Haec elocutus Iunius Rabirius
Seſe recepit ad ſuos,
Mirationis me relinquens ebrium
Et invidentem jam ſibi.

Datum Lemovicibus quarto nonas Maji. Anno M. D. XXXVIII.

Ejuſdem ad eundem Diſtichon.

Forſitan hæc quaeras à te quid pagina quaerat,
Quaerit, reſcribas ni ſibi, nempe nihil.

Omiſeram fere hac digreſſione, quod tamen maxime notandum putarim, eum inter alios habuiſſe filium nomine ROBERTUM *Henrico* natu minorem nec induſtria diſparem, qui etiam ante *Henricum* diem ſuum obiit ſupremum, cujus mentionem habere ne

nec patrem, nec *Henricum* uspiam deprehendo. Haec tamen Dom. la Croix du Maine in libro saepius citato.

* ROBERT ESTIENNE Parisien, frere de *François* " *Estienne*, enfans de *Robert Estienne* 2 du nom, (tous " deux neveux de *Henry*) &c. jeunes hommes fort do- " ctes en Grec & en Latin. "

Il a composé plusieurs poëmes es langues suf- " dites, & encores s'en voit-il plusieurs imprimez " oeuvres de *Philippes des Portes*, & sur la mort de " Messire *Christofle de Thou*, premier President de " Paris, & sur autres personnes de qualité. "

Il a traduit plusieurs Autheurs Grecs en Latin, & " Latin en François, mais ils ne sont encores en lu- " miere. "

Il est de fort grande esperance, pour estre si docte " sçavant es langues en un si bas âge, (ce qui est une " chose commune a tous ceux de sa maison:) car il y " en a eu sept ou huict tous de ce nom, qui ont mis " leurs escrits en lumiere, tant hommes que femmes, " tant ils sont nez aux lettres, & desireux d'appren- " dre de pere en fils. "

Il florist a Paris cette année 1584. & fait sa de- " meure ordinaire chez Monsieur des Portes, *Abbe de* " *Tyron* & de *Josaphat* pres Chartres, lequel l'a fort " recommandé pour l'excellence de son esprit. "

Henricus tamen de patre suo nonnunquam cum laude loquitur, quemadmodum in praeloquio lexici *Ciceronis* legere est: *Quantum*, inquit, *in utramque partem momenti in exemplo domestico ac paterno positum sit, si nunquam antea considerasti, lector, nunc saltem mecum, obsecro, considera. Dum mihi quotidie patris mei* Roberti Stephani *labores & Vigiliae ob oculos versantur, fit nescio quomodo ut ego omnium alioquin* μι-

* pag. 444.

μισοπόνος *non aliter quam tuba miles ad praelium, aut generosus equus, ad laborem accendat.* Praeter hunc locum respicere poteris praefationem in Diodorum Siculum Graece ab *Henrico* tunc temporis illustrissimi Fuggeri Typographo excusum; ubi ait se persequi coeptum patris sui Typographeion à *Francisco Rege* Galliarum ei commissum. Quod si plura desideres, recurre ad *Erasmianorum* adagiorum admonitoriam Epistolam, Scaevolam Sammarthanum, aliosque idem afferentes locos. De ceterorum liberorum, quos plures certo certius habuit, nominibus nihil mihi constat. Quare ad ejus studia & labores descendimus, quibus omnibus referendis impares sumus, siquidem tot excusi exstant apud Eum libri, ut eorum fere copia vix fidem mereri videatur. Nec illi sane sunt vulgares, & minoris momenti, atque eruditionis, adeo ut cura & attentione minus digni forent: non sane? nullus enim ejus typis in manus hominum pervenit, qui non summam curam & eruditionem exhibeat. Nam si vel *Logicam Enzinas*, *Physicam Majoris*, & *summulas Mandreston*, & *Breviarium* & *Missale* voluisset imprimere, non ei tanta cum Theologis Sorbonici collegii fuisset contentio, nec coactus tot subire calumnias, pericula, & aliquando solum vertere. Verum longe alia mens atque ratio in pectore, circa quod illi triplex aes erat, versabatur, quâ rebus tam sacris, quam profanis pro virili conabatur prodesse. Non enumerabimus de novo lucubrationes in Sacrum Codicem, non labores, non sumptus, adhibitos. Non enumerando recensebimus, quot noctes insomnes duxerit, ut quam nitidissime auctores classici, aliique in manus eruditorum pervenirent. Non dicemus de laborioso aeque ac taedioso, quo functus est, corrigendi munere, in quo tamen, qui-

dam

dam narrant, ipsum solitum fuisse, singula folia perlegenda, hic illic per plateas, locis certis affixisse, adjuncto pretio illi, qui vitia quaedam, quorum etiam sua erant, prout enormia essent, praemia, detexisset. Hoc si vel ipsam vitam consumpsisset, totasque corporis exhausisset vires, non esset profecto, quod non admiratione foret dignum. Imo satis nominis sibi vel hinc comparasset. Ast alia animi virtus atque nobilitas aliam sibi ad gloriae culmen, viam, quaesivit, invenit, confecit. Quod ratum facere potest, Ingens ille & nunquam satis laudatus Latinae Lingue Thesaurus ab eodem primo M.D.XXXVI. deinde Anno M.D.XLIII. excusus; Quo imperitissimis & revera stupidissimis, nisi, quod verosimilius, invidiosissimis hominibus dicebatur januam Barbariei aperuisse. En quo tandem ignorantia perduxit homines impudentissimos. Nam ipse *Henricus* auritus testis, scribit, illos, qui haec proferrent vix verbum Latinum potuisse eloqui. Hic igitur Latinae Linguae thesaurus multum lucis viris eruditissimis cum conferret, saepius hîc illîc recusus est, semper tamen, ut titulus prae se ferebat, auctior, quod & re vera ita sese habuit. Nam, aliquando imperitus quaedam adjiciebat mendorum corrector, vel alius quispiam, cui Officinae cura demandata erat, quae ab ipso auctore studio atque industria erant praetermissa, de qua elegantem Historiam me legisse in Epistola *Henrici Stephani, qua ad multas multorum amicorum respondet, de suo Typographiae statu nominatimque de suo thesauro linguae Graecae, &c.* recordor, quam in cautelam eorum, qui aliorum editioni nimis confidant, proferam.

Metuo certe (inquit) *ne miseri isti* Βαρβαρολεξικοσυρραπτίδαι. *& voces illas & alias quam plurimas, itidem commentitias aut quolibet modo mendosas, quas ego relega-*

vi, vel potius ἐς κόρακας *amandavi, tamquam per incuriam à me praetermissas, in meum etiam illum Thesaurum intrudant. Quod cum accidet, idem prorsus mihi quod patri meo*, Roberto Stephano, *id est, idem meis quod ejus laboribus, usuveniet. Quum enim ille Venetiis agens quandam Officinam Typographicam ingressus esset, in qua excudebatur ejus Thesaurus linguae Latinae, sumpta in manus charta, oculos statim in quoddam vocabulum conjecit, quod se olim rejicisse, dum opus illud construeret, recordabatur. Miratus ergo, suum exemplar afferri ad se jussit, quod suae memoriae non omnino fidendum putaret. Ibi certe vocabulum illud non invenit; sed margini adscriptum, ut insereretur, videt. Tunc eum, cujus manu adscriptum erat, convenire: & quo id consilio fecisset, interrogare. Hic vero non aliud respondere, quam se non vocabulum hoc solum, sed aliquot alia itidem adjecisse. Quae cum patri meo ostendisset, ea ipsa esse comperit, quae itidem olim rejecerat. Qua ex re tanto dolore exarsit, ut continere se non potuerit, quin illum aliosque, qui ad ditandum praeclaris hisce divitiis Thesaurum, operam suam itidem locarant, asinos Arcadicos vocaret.*

Edidit hic aliquando *elucidarium Poëticum* de quo, quamvis paullo iniquius *Jacobi Thomasii* * judicium est, tamen, ne quaedam (quae minus benigna sunt) silentio suppressisse dicar, adscribam.

„ *Robertus Stephanus* (inquit) in Elucidarium suum „ Poëticum *u*) ex Anthropologiâ Volaterrani plera- „ que virorum ac mulierum nomina sic describit ut ali- „ cubi etiam errores ejus faciat suos *x*), alibi novos à „ se addat *y*.) Ignoscerem, si lectorem suum appellans „ Volaterrani fecisset apertam mentionem *z*).

„ u) *ejus editione utor Coloniensi Anno*, 1543.

„ x) *exem-*

* *De plagio literario* §. 549. CLI.

x) *exemplum dedi §. 391.* "
y) *ut cùm de Diocle Medico Caryſtio Suidam citat,* "
qui de hoc Diocle mutuus eſt, nec citatur à Volater- "
rano f. m. 344. [ed. Baſil. 1519.] Suſpicor autem "
titubatione quâdam oculi hoc factum à Roberto. "
Suidam enim Volaterranus [& rectè] citat tùm "
ante Dioclem, tùm poſt eum ſub Diogeniano & "
Dioſcoride: quos ipſos quoque ſatis fideliter deſcri- "
ptos à Roberto *reperies.* "
z) *pro quâ generalia tantum haec lego:* Nos ab aliis "
tradita omnia ſtudioſe collegimus: ——— cla- "
rorum virorum hiſtoriam à praeſtantiſſimis "
quibuſque rerum Scriptoribus mutuati, quod "
commode facere potuimus, eos ſuis dictis fa- "
ctiſque illuſtravimus. "

Sunt haec ipſiſſima *Roberti Stephani* verba, qui, ubi lacunula eſt haec interponit: *fabulas ex Servio, Acrone ceteriſque nobilibus Grammaticis deprompſimus*, non video itaque quare iniquus cenſor fuerit doctiſſimus ille *Thomaſius*, cum ipſe *Robertus Stephanus* in praefatione ſui Theſauri dicat, ſe tantum illud elucidarium illuſtraſſe. Sed fortean locum illum *Thomaſius* non legit, ſiquidem prima illa editio rarior eſt: adſcribam itaque locum. ——— *Partim* (inquit) *ex Poëtico illo dictionario à nobis fideliter emendato, quod elucidarium Poëticum vocant.* Judicet jam mecum Jove aequo unusquiſque lector candidus, an hoc plagium merito poſſit vocari. Quid? Nec in hoc tantum ſuum candorem & ingenuitatem indicat; verum in ipſo ſuo Theſauro: nam (quamvis omnia ipſe collegiſſet, ſuaque deſcripſiſſet manu) dicit tamen: *ingenue fateor nihil hic ineſſe de meo, praeter laborem & diligentiam.* Quae tanta fuit in opere illo conſtruendo, ut rem non ſolum domeſticam, ſed & curam corporis in totum ferme ne-

glex-

glexisse de se praedicet. Quid mirum, nec aliter fieri potuit; nam duobus annis se opus illud ad umbilicum perduxisse ipse auctor est, de quo saepissime egit cum viris doctissimis & clarissimis quibuscum suos labores communicavit, ut eo elegantius correctiusque in lucem prodiret, quorum adhortationibus tanta studia, tantam diligentiam adhibuit, tot noctes diesque ei operi insudavit, ut nisi ope Divina fuisset sustentatus, aut occumbendum ei aut succumbendum fuisset. Quibus vigiliis, & pene dixerim Herculeis aerumnis. (Quibus exantlavit hunc Thesaurum), quid sibi paravit praeter calumnias, & nescio quae non scommata dicteriaque; Quid laudis, quid gratiae omnibus suis laboribus summaque in omnes auctores diligentia meruit? quid sumptibus suis inenarrabilibus effecit, nisi ut crabrones sibi excitaverit. Nec est quod de hujusce rei Testimonio anxii simus; adest Filius suus tanto patre dignissimus *Henricus Stephanus.* Hic enim dicit *se non minus indignari quam mirari quosdam tam fideli patris sui diligentia offendi*, nimirum quod apposuerat auctoribus ea, quae absque lectorum incommodo posuissent absuisse. Inter illos primus erat Papius cujus alioquin & judicium & doctrinam magni faciebat *H. Stephanus.* Judicent jam, dico, judicent, aequissimi lectores, num injuria afficiatur hic noster *Robertus Stephanus*? num male ipsum exceperint homines bonis literis infestissimi. Sed quid haec? jam olim hae fuere merces beneficiis, ut hoc omnibus constat, canat itaque, ne plura adferamus, cum Poëta* (qui nec à crimine plagii etiam fuit liber:)

Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium & steriles dominantur avenae:

Pro

* *Ecl.* 5. 36.

Pro molli viola pro purpureo narcisso,
Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

Sed potius ad rem. Edidit Idem *dictionarium Latino Gallicum*, & *Gallico Latinum* impressum M. D. XXXIX. quod idem *Latino Gallicum* ab eodem auctum & emendatum M. D. XLV. *Gallico Latinum* vero A. M.D.XLIX. recusum est. Non dicam quid in Calepini Ambrosii dictionario praestiterit, dum unusquisque illud ex ejus praefatione intelligere poterit. Ac huc usque recensuimus quae circa humaniora seorsum edita prostant: pergimus ad ea, quae circa Sacra, quibus semper summum studium adhibuit, nobis reliquerit. Horum primum ponimus *concordantias utriusque Testamenti Latinas* Anno M. D. LV. excusas, quas (antea à quopiam suppresso nomine ita mutilas editas ut vix usui esse possent) correxit, emendavit, auxit, ut plane novas, idque merito, quis eas vocare posset: quarum in praeloquio se *Graecas* redditurum promisit, quae vice dictionarii seu indicis Graeci in Novum Testamentum esse possent: quibus promissis etiam stetit. Possideo enim eas apud *Paulum Stephanum* forma majori, Anno M. D. C. impressas, quibus *Henricus* procemium praemisit, quod profecto vel solam propter parentis sui honorificam mentionem in eo factam, legi meretur. In hoc affatim satis docet, ac demonstrat laborem, industriam, tempus ei operi ab ipsius parente impensa, verum illas postea ab *Henrico Stephano* adauctas, non inficias imus. Habeo praeter eas. *Responsionem ad Censuras Theologorum Parisiensium* editam M. D. M. LI. in octavo, qui liber lectu non modo dignissimus, sed propter Historiam jucundissimus est. Conscripsit quoque, *Onomasticum Hebraicum* (quod ipsum Bibliis ceteroquin subjun-

jungere video) seu *explanationem vocum Hebraearum, nominum Propriorum, Montium, Fluminum, Urbium, Virorum, Mulierum, &c.* M. D. LVII. emissum, quod ab eo non inchoatum, sed huc usque perfectum est. Hisce adjungere poteris Phrases Hebraeas ab eo collectas editasque M. D. LVIII. quas thesauri L. Hebraeæ alteram partem vocat. Dedit nobis etiam in *Euangilium secundum Matthaeum, Marcum & Lucam Commentarios ex Ecclesiasticis scriptoribus collectos, Novarum Glossarum* Ordinariarum *specimen* in folio Anno M. D. LIII. Has diu excudere cum decrevisset, consilium de iis cum Patribus *Sorbonici Collegii* init, qui laudant, probant ejus institutum, & ni ille fecisset, se facturos inquiunt, ac jam olim penes ipsos constitutum & factum fuisse asserunt, nisi aliis rebus fuissent impediti. Pergit itaque excudere eas, quibus visis atque lectis ita sunt irritati & crabronum instar excitati patres Sorbonici, ut, si penes ipsos stetisset, ipsum igne combussissent ustulavissentque; Verum Deus T. O. M. semper piorum conservator sedulus, ipsum incolumem servavit. Nam praevidens quid molirentur plurimi, in tempore se subduxit, quam ob rem cum vivum nequirent, effigiem ejus manu carnificis comburi jussere. Quae Historia, aliquatenus describitur in Epistola Magistri *Benedicti Passavantii* (edita in 12. 1568. pag. 30) cujus verba quamvis minime Latina, equidem quia liber rarior est in curiosorum gratiam subscribere placuit.

„ Et vos nescitis, ego vidi illum maledictum hæreti-„ cum *Robertum*, qui nobis est tam bene elapsus. Per „ diem (sicut dicit *David*) vos bene dicebatis, Ca-„ vete bene, ipse evadet vobis: & defunctus *Joan-„ nes Andreas*, qui sperabat maritare filias suas de bo-

„ nis

nis ipsius, ut erat Zelotissimus fidei Catholicae, bene " etiam clamabat semper quod fugeret. Sed oculi no- " stri tenebantur, & alii vastaverunt totum, qui fa- " ciebant de nimium sapientibus. Et quia ego non " sum eum alloquutus, quia faciebam conscientiam, " ego rogavi de uno, quomodo faceret hic. Et ipse " mihi dixit, quod nunquam fuerit magis laetus, & " quod faceret mirabilia de imprimendo: ita quod " nunquam fuit unus qui dederit tot poenas matri no- " strae universitati quam iste dabit. Et quomodo? dixi, " ipse fuit combustus in figura. Ita, ita, dixit, sed ri- " det se de magistris nostris in propria persona, & di- " cit mille jocularia de magistro nostro de Govea, " quem ipse vocat Sinapivorum: & de magistro no- " stro Picardo, quem vocat Picam garrulam, quia " nescit quid dicit, & frangit sibi etiam caput degar- " rire: & de illuminatissimo magistro nostro Maillar- " do, & narrat quomodo quando semel mater nostra fa- " cultas fuit coram Francisco Rege, cardinales ride- " bant, se de eis, & dicebant, Videte, videte, quo- " modo magistri nostri sunt mucosi & lutosi: profecto " haec est una mirabilis approbatio, quod Sorbona non potest errare. Et quod tunc unus curialis vo- " lens facere ridere alios, quaesivit dicens, Cur nun- " quam oportet dicere Tu, magistris nostris, sed sem- " per Vos, etiamsi non sit nisi unus? Propter hono- " rem, dixit alius, juxta illud, Amant ab homini- " bus vocari rabbi, per humilitatem Sorbonicam. Non " non, dixit alius, ego bene scio unam aliam rationem " Tropologicam: quia sicut unus homo est factus ex " corpore & anima, sic unus magister noster, quin " etiam unus minimus socius de Sorbona, est factus " ex homine & asino: & ita ad minimum, etiamsi non " sit nisi unus, supponit pro duobus, id est, pro homine "

" & asi-

„ & asino,& ita oportet illi dicere Vos Ergo, dixi ego,
„ *Robertus Stephanus* non est combustus, nec mor-
„ tuus. Non, dixit ille, nisi dicendum sit quod spiri-
„ tus reveniant in hunc mundum, &c. Hactenus ille.
Composuit quoque, ut hoc verbo solum modo notem, sermone *Gallico Grammaticam linguae Gallicae*, quam in linguam Latinam verti postea curavit; praeter quae enumerata, an plura conscripserit, scio juxta cum ignarissimis. Ille autem qui plura noverit, in usum suum, si voluerit, hisce poterit adnotare. Ceterum quod ad labores ejus pertinet, hoc solum incidit, ipsum equitando Lutetia Lugdunum dum peteret, Tmemata illa, seu incisa, vel, ut nostri vocant, *Versus* per Novum Testamentum invenisse & excogitasse, quae usum quemnam praestent, facile vel imperitissimus burdo poterit judicare atque experiri. Atque haec sunt quae pro brevitate temporis & materiae, si ita loqui liceat, sterilitate, nisi nos toti laudum praedicationibus vellemus dedere, de *Roberto Stephano* dicere, Vir plurimum mihi colende, potuimus. Animus quidem erat pluribus exponere caussam, quare Lutetiâ Parisiorum Genevam discesserit, verum cum illa, quae ad hujus discessus pleniorem expositionèm pertineant, necdum quidam pro voto collegerimus, maluimus ea silentio praeterire, quam pro rei dignitate, ac debito non tractare. Hunc tamen, Deo dante, postea prolixioribus exponemus, ubi otium altius ac liberius, diligentia accuratior magisque sollicita, nobis & plura & meliora suggesserit, aut clarissimorum aeque ac doctissimorum virorum liberalitas, plura *cum* circa hoc dissidium, *tum* circa genealogiam suppeditarit. Rogo enim, imo majorem in modum peto, ut ünusquisque communicet mihi ea, quae vel commissa vitia emendare, vel obscuris lucem
ad-

adferre, & mutila adimplere possint. Quo opusculum hoc, perfectius ad hominum manus in posterum pervenire poterit. Verum priusquam absolvam hic addendum putarim, quod quidam ferunt, *R. Steph.* insequutum fuisse *M. Servetum* ob ejus opiniones de S. S. Trinitate, ducentes id ex sequentibus verbis:* *Interea missus ad Francofordiam quidam Thomas, famulus Rob. Steph. qui libros Serveti, qui illic ad nundinas prolati fuerint, combuissit ne distraherentur.* Finem itaque hujus *R. Stephani* vitae discriptioni cum morte imponimus. Vixit hic Annos LVI. & Genevae, quo sedem fortunarum transtulerat animam suam VII. eid Septembr. A. M. D. LIX. (qui funestissimus dies A. 1556. etiam nobis eripuit clariss. & celeberrimum Typographum *Sebastianum Gryphium.*) Deo placide reddidit; relinquens praeter alios, quos plures habebat, hosce liberos.

H E N R I C U M.
F R A N C I S C U M.
R O B E R T U M.
K A T H A R I N A M.

Inter quos *Robertus* II. non minori cum laude Lutetiae Parisiorum eandem artem pro facultate exercuit; exsistente etiam *Regio Typographo*, ut Psalmorum Davidis Buchanani editio manifestat, in cujus fronte legitur apud *Henricum Stephanum & Fratrem ejus Robertum Stephanum, Typographum Regium* M. D. LXVI. Quod munus ei delatum esse, quia à religione sua paterna desciverat, confido; quam ob caussam etiam ab haereditate pater eum Testamento excludit, quam alter *Henricus* filius cum *Francisco* fratre crevit. De hoc FRANCISCO STEPHANO, nihil materia, ut Plautino ore loquar, suppetit, veluti nec de *Roberto* II. nisi, praeter ea quae supra diximus, quod decesserit hic.

* *In differt Castalion. qui vaticanus dicitur.*

D Ro-

Robertus Stephanus secundus (nam de iis tam pauca exſtant, ut ſeorſum eorum vitas deſcribere nullo modo poſſemus) jam ante *Henricum Stephanum*, circa ſi conjicere liceat, A. M. D. LXXXVI, relinquens filium nomine *Robertum* *Stephanum* III. qui ab anno 1598. ad annum 1628. Pariſiis etiam exſtitit Typographus, de quo ſtatim ea, quae mihi conſtant. Officinam tamen ROBERTI STEPHANI II. Poſt mortem ejus adminiſtraſſe MAMERTUM PATISSONIUM mihi perſuadeo, ſiquidem ex omnibus, fere editionibus video, MAMERTUM PATISSONIUM omnes ſuos libros in *Roberti Stephani* Typographia excudiſſe. Nec mirum, nam hic viduam filii hactenus vel à nomine mihi ignoti, *Roberti Stephani* I. in uxorem duxerat. Quapropter ſocietatem cum affine *Roberto Stephano* II. iniit. Cujus Officinam poſt mortem ejus adminiſtraſſe, ut jam diximus, arbitramur. Quantus autem vir fuerit *Robertus Stephanus* II. paullo ante memoravimus. Illud jam addo quod è vita diſcedens reliquerit filium nomine *Robertum*. Qui ejus nominis *tertius* eſt. Vir profecto tam Latinae quam Graecae linguae peritiſſimus. Confecit enim diſtichum Graecum in clariſſimi viri I. A. Thuani carmen *crambe* dictum, apud *eum* 1608. Pariſ. impreſſum. Quod donavit Viro celeberrimo Dom. Baudio, unde videre eſt quam eleganter Latinas Graecaſque literas pingere potuerit. Quid! compoſuit quoque carmen in obitum doct. Viri Puteani, quod in ejus elogiis legere eſt. Verum cum de *Mamerto Patiſſonio* ſermo incidit, non poſſum praeterire quin elogium Dn. la Croix du Maine, præcipue cum in *Steph.* vitis fecerim, adſcribam. ſic p. 304. ejus Biblioth.

„ MAMERT PATISSON, Imprimeur & Librai-„ re à Paris, homme fort docte en Grec & en Latin, „ & en François auſſi. Je n'ay encores point veu de

„ ſes

ſes eſcrits mis en lumiere,ſi peux je bien aſſeurer que "
quand il voudra il en pourra faire imprimer de ſon "
invention, d'auſſi beaux & doctes, comme ceux "
qu'il imprime d'ordinaire : en quoy il eſt à loüer "
grandement pour le profit qu'il fait au public, tou- "
chant les beaux livres qu'il imprime tous les jours:car "
il ne choiſiſt que de bonnes copies,& compoſées par "
hommes doctes,leſquelles il imprime fort correctes, "
de beaux caracteres, ſur bon papier & de belle mar- "
ge, qui ſont toutes les perfections de l'Imprimerie : "
en quoy il ne degenere de Meſſieurs les Eſtiennes, "
en la maiſon deſquels ils a pris alliance, ayant eſpou- "
ſé la veuve du fils de Robert Eſtienne, pere de Hen- "
ry &c. "

Notari itaque ab omnibus volo, ſi liber quiſpiam apud *Robertum Stephanum* ſit impreſſus poſt annum M. D. LX. illum apud *Robertum Stephanum* ſecundum eſſe editum, quod me ſaepius in dubium traxit, priuſquam primi *Rob. Stephani*. mortem reſciviſſem. Sic ſaepius etiam editiones *Roberti Stephani* ſecundi cum editionibus *Roberti Stephani* tertii confudi. Quam confuſionem ut evites, hîc monendum duxi, omnes libros poſt annum 1588. in *Roberti Stephani* Typographia excuſos, à *Roberto Stephano* tertio ſeu *Roberto Stephano* R. F. R. N. ut ipſe ſcribit, eſſe divulgatos. Deceſſit, ut ad rem redeamus, *Robertus Stephanus* I. Genevae anno, ut dixi, M. D. LIX. ubi ſepultum eum nullus dubito. In eum certocertius carmina exſtabunt funebria ; verum noſtrum conſpectum, in hunc uſque diem fugientia. Praeter hoc magni *Theodori Bezae*, & illud, quod nobis ſuppeditat *Paulus Colomeſius* in Gallia Orientali quae una cum *Henrici Stephani* epitaphiis ſubjunximus.

ΕἸΣ

ῬΩ´ΒΕΡΤΟΝ

ΤΟ`Ν

ΣΤΕ´ΦΑΝΟΝ.

Τάς ποτ' Ἰουδαίης τε καὶ Ἑλλάδος, Αὐσονίης τε
(Φεῦ, φεῦ) τὰς μούσας δεῖν' ἀπελαυνομένας,
Λουκετίῃ μέσσῃ Στέφανος ξεινίσσατο δῖος,
Ὁ Στέφανος, πάντων χαλκογράφων Στέφανος
Εἰσόκε μισοκάλων ἐθελοντὴς πλήθεσιν ἀνδρῶν.
Εἴξας, πουλυετῆ οἷς πολέμησε χρόνον.
Ὤχετο πατρίδα τὴν φεύγων, ἀχάριστον ἐοῦσαν,
Γαίας τ' ἀλλοδαπῆς γαῖαν ἄμειψεν ἑήν.
Κἀκεῖ χαλκοβατῆ κούραις δόμον ἐννέα δείμας,
Εἰς μακάρων τελέως ὄλβιος ἦκε δόμους.
Αὐτὰρ ἀποπταμένου πτῶμα ξείνοιο λαβοῦσαι,
Πλωώασαί τ' ἰδίοις δάκρυσιν Ἀονίδες,
Ἐννέα τ' ἀμφὶ νέκυν ξένον ἤματα κωκύσασαι,
Τῇ δεκάτῃ χλοερῷ θάψαν ἐνὶ πεδίῳ.
Ὡς ἀμάραντον ἀεὶ καὶ πάντα ἐς ἤματα ζῶντα
Χαλκογράφων θάλλειν τὸν Στέφανον στέφανον.

Idem

Idem Gallice.

Celui qui d'un Sainct oeil son Eglise enuironne.
Estienne, *t'enrichit de tant d'heurs & d'honneurs,*
Que la gloire tu fus de tous les imprimeurs,
Et de ton noble estat la tresbelle couronne.

Outre plus ce grand Dieu de tant de graces t'orne,
Qu'à Paris tu logeas les Muses Sainctes soeurs:
De l'Hebreu, du Latin & du Grec les douceurs
Au François ignorant ta Saincte adresse donne.

Ce nonobstant la France ingrate te chassa
Ton ame sur les cieux à la fin se haussa
Les Muses ont pleure ton importune absence.

Les biens qu'aux imprimeurs en ta vie tu fis,
Les scandales esquels nos François sont confits,
Nous font souuentesfois desirer ta presence.

Prosopopoeja in ROBERTUM STEPHANUM, Bibliopolam sui temporis facile Principem, Genevae.

Authore FRANCISCO PERALDO, Nicolai Filio, Ling. Graecae ibidem tum Professore.

CIVIS ET HOSPES.

C. *Publica cur toties isthaec monumenta pererras*
Manibus atque sacram cur teris Hospes humum?
H. *Scire aveo* Stephani *jaceant ubinam ossa* Roberti,
Hunc mihi designat nulla columna locum.
C. *Quid refert rescisse, viro ni forte quietem*
Vis optare, salus cui data perpetua est?
Oderit is votum hoc, Patria quem sponte relicta
Huc verae adduxit relligionis amor.
H. *Nec me haec causa movet, nec inania murmura novi,*
Non incantatis spargere corpus aquis
Sed mihi nescio quae pertentant gaudia pectus
Cernenti veterum clara Sepulchra virûm.
C. *Quem claros inter memoras & laudibus effers,*
Ergo aliunde tibi notus, Amice, fuit.
H. *An foret ignotus: Cujus tot scripta per orbem*
Versantur docta nocte dieque manu?
C. *Dic igitur si nunc tumulus resplendat auro,*
Marmorea addiderit si quoque signa Paros:
Haec sterili fico mox discutienda vel aevo,
Majus ei possent conciliare decus?
Nunc vero tot habet monumenta illustria quot sunt
Tum sua tum veterum quae monumenta dedit.

ΡΩΒΕΡΤΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ

ἘΠΙΤΑ'ΦΙΟΝ.

Ῥωβέρτου δίζῃ Στεφάνου τάφον ὦ παροδῖτα;
Ἐνθάδε ὃν δίζῃ, ἀλλαχοῦ ἐστὶ τάφος.
Ἀλλαχοῦ ἐστὶ τάφος, καὶ πολλαχοῦ, ὦ παροδῖτα·
Ὁσσαχοῦ αἱ μοῦσαι ναιετάουσι δόμους.

ἌΛΛΟ.

Τὸν μόχθοις ἀδάμαστον, ἐπῶν ἀδάμαστον ἀνάγκη,
Κὴρ ἡ πανδαμάτωρ νῦν ἐδάμασσεν ἐμέ.
Ἀλλ' ἀδάμαστα μένει καὶ ἀγήραα ὅσσ' ἐμόγησα,
Χάρματα τοῖς ἀγαθοῖς, ἄλγεα τοῖς φθονεροῖς.

ἌΛΛΟ.

Πάντ' ἐγὼ ἔν τε πόνοις ἔτριβον βίον ἔν τε μερίμναις,
Πρὸς μούσας ἄπονον προξενέων ἀτραπόν·
Νῦν δ' εὗρον κατάπαυμα πόνων, κατάπαυμα μεριμνῶν,
Εὗρον ὅτ' ἀδρανέος καὶ κατάπαυμα βίου.
Ἀλλὰ πόνων τέκνοις κοινῶν ταμιεῖα λέλοιπα,
Ὄφρα πονῶσ' ἐπὶ νῦν ἀντ' ἐμοῦ οἱ ἀπ' ἐμοῦ.

ἌΛΛΟ.

Τυτθὸς ἐγὼ τόγε σῶμα, μεγάψυχος δέ νυ ἔσκον
Καὶ μεγαλεργὸς ἀνήρ, οὐ μεγαληγόρος ὤν.
Σώματος ἡμετέρου καὶ ψυχῆς μάρτυρες ἔσων,
Τοῦ δὲ μὲν, οἱ ἐπ' ἐμοῦ, τῆς δὲ, καὶ οἱ μετ' ἐμέ.

ἌΛΛΟ.

Ὦ Στέφανος Στεφάνου στεφάνῳ Στέφανον στεφάνωσεν,
Εἴη καὶ Στεφάνους νῦν Στέφανον στεφανοῦν.

ROBERTI STEPHANI

EPITAPHIUM.

SI posset calamis, si chartae sensus inesse,
Sique Typographicis sensus inesse typis:
Atramentum ullis esset si sensibus auctum:
Jampridem in lacrymas haec liquefacta forent.
In lacrymas liquefacta forent, superata dolore
Concepto ex chari funeribus Stephani.
Sed bene quod salvi nobis calamique typique
Officio fungi nunc meliore queunt:
Ut Stephano, per quem tantum sunt nomen adepti,
Reddant, tollentes nomen ad astra, vicem.

ALIUD.

Ars inuenta quidem, verum imperfecta manebat,
Et rudis, ut multae ars artis egeret adhuc:
Roberti sed in arte rudi solertia fecit,
Lambendo foetus quod facit ursa suos.
Sic decus huic tulit ars, sed & hic decus attulit arti:
Jamque uter utri plus debeat ambiguum est.

ALIUD.

Quo labor assiduus penetret comes additus arti,
Roberti ante omnes arsque laborque docent.
Nec mirum artifices quod tot superaverit unus,
Quot tulit haec aetas, & quot avita tulit.
Namque labori alios dare brachia victa videmus:
At labor huic contra brachia victa dedit.

ALIUD.

Hujus in aeternum monimenta operosa loquentur,
Sparsa per auricomi solis utrumque latus;
Egregiae quantum naturae ars addita possit,
Et cum natura junctus & arte labor.

ALIUD.

Qui fuerat Pylios canescere dignus in annos,
Illius viridis fata senecta subit:
Deserit imperfecta illum vita; ille vicissim
Imperfecta artis deserit acta suae.
Ne, qui aliqs primis vitae superavit in annis,
Fiat in extremis victor & ipse sui.

ALIUD.

Ergo Typographicae princeps celeberrimus artis
Occidit, & periit nobilis artis honos.
Occidit (heu) lustris bis sex nondum ille peractis,
Cumaeos dignus qui geminare dies.
Occidit? imo equidem vivit, vivetque per orbem,
Dum fuerit Musis ullus in orbe locus.
Quique rogo eripuit libros, medioque sepulcro,
Per libros bustis ille superstes erit.

ALIUD.

Donec in Hebraicis perarata oracula chartis
Sunt mansura, (viris maxima cura piis)
Donec erunt Graeci scriptores atque Latini,
Praeco tuae laudis maximus orbis erit.

ALIUD.

Regius emerui (me nosce) Typographus esse,
Francisco & dignos Rege tenere typos.
Munificam Regis dextram, cor Regis amicum,
Tutricem emerui Regis habere manum.
Regia quinetiam, plusquam quoque regia nobis
(Teste vel invidia) mens animusque fuit.
Sic Regis spe magna etiam majora reliquit
Ars mea, verum animo cuncta minora meo.

ALIUD.

Vivere contentus potuissem rure paterno,
Carpere & in patriis otia grata bonis:
Sed mihi Musarum juveni placuere labores,
Vani autem juvenum displicuere joci,
Dulcia sprevisset quumque otia nostra juventus,
Haec eadem sprevit nostra senecta magis.
At tu posteritas nostro gratare labori,
Per quem pinguia sunt otia parta tibi.

HENRICUS STEPHANUS

Lectori.

Cui suspecta mei mea sunt praeconia patris,
Praeconesque alios illius esse cupit,
Saltem oculos adhibens testes ad facta parentis
Non mihi, non alii, credat at ille sibi.

HENRICUS STEPHANUS

SCriptis suis eruditissimis *ultra Garamantas & Indos* notissimus,

** Est Patre genitus, qui duos reges apud*
(Nam sceptra nato tradidit parens sua)
Auctoritate valuit atque gratia,
Gratae quod essent ejus ipsis literae,
Et opera circa literas fidissima.

Omnes sui stemmatis eruditione, famâ, diligentiâ facile superavit. Quanquam ejus parens *Robertus Stephanus*, ut jam docuimus, pluribus etiam laudibus ab omnibus meritissimus celebretur. Fratres suos, licet non indoctos, ipso tamen Parente longe minus claros, multis parasangis praecucurrit. Natale suum solum ipse hisce versibus describit.

** Lucina namque matris hunc alvo extulit*
In urbe, qua vix ulla plures principes
Habere solita perfrequenter hospites.
In urbe, qua non ulla vel florentior
Populosiorve credita est tum temporis:
Compendium orbis: sicut urbem Romuli
Epitomen orbis nominatam discimus.

Parisiis scilicet, ubi quoque educatus est. Hic, ut primum è pueris excessit, *Henricus* (quâ aetate maximopere horticultura delectabatur, ut scribit ejus patruus *Carolus Stephanus*, qui ea propter librum suum de

* *Mus. Mon. Princ. pag.* 26.
* *Mus. Mon. Princ. pag.* 26.

de R. Hortensi nomini ejus inscripsit) studiis tam vehementi incubuit diligentiâ, labore, atque felicitate, ut nihil supra. Tanta enim pollebat memoria, ut totum, Q. Horatii Epistolarum librum primum memoriter recitare posset. Quae maxima commoda ei praestitit. Studiis sedulo operam navavit sub saeculi sui clarissimo lumine *Petro Danesio* linguae Graecae apud Parisienses tum temporis Professore, ac *Francisci* primi Galliarum Regis Filii Delphini directore, ut & sub *Jacobo Tusano*, postea etiam Lutetiae Professore. Nam hic uno eodemque tempore cum *Francisco Vatablo* professor est nominatus, qui postquam diu familiariter vixissent, uno quoque eodemque die, paucis ante *Franciscum Galliarum* Regis mensibus, vitam cum morte commutarunt. Jactis hisce fundamentis solidissimis, iisce indies diligenter superstruxit, praesertim cum togam sumpsisset virilem, ipsique liceret inter consortia atque collegia doctissimorum virorum locum capere. Ab eo itaque tempore familiarissime usus est *Turnebo*, * (cujus institutione se usum confitetur) Regio tum temporis Professore ac Typographo, cujus tumulum hisce epitaphiis adornavit.

* *In Dialog. Mus. Mon. Princip. subjunc. pag.* 307.

ΑΔΡΙΑ-

ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΤΟΥΡΝΕΒΟΥ

ἘΠΙΤΑ'ΦΙΟΝ.

Τιμηθεὶς Μούσαις, τιμήσας Τούρνεβε Μούσας,
Τιμὴ καὶ τέχνης ἦσθα τυπογραφικῆς.
Ἀλλὰ τέχνην κατέλυσας, ἀγνῶν προστάγματι πεισθεὶς
Μουσάων, τιμῆς οὐ φθόνεόν γε τόσης.
Ὡς δ᾽ καὶ σοφίης φθόνεον σῆς ἄμμιν ἐκεῖναι,
Καὶ βίοτον σοφίῃ συγκατέλυσας ἄφαρ.

ADRIANI TURNEBI

EPITAPHIUM.

MUsarum multis jam functus honoribus ille
Turnebus, sacri maxima cura chori,
Ferre Typographica voluit quoque nomen ab arte:
Nomen ei potius sed dedit, atque decus.
Calliope invidit prela hanc gestare coronam:
Protinus ergo artem desinat ille jubet.
Mox eadem toti Turnebum invidit & orbi:
Sic cum vita artem desiit ille suam.

Libuit & haec epigrammata in Turnebi laudem à me ante aliquot menses scripta, praecedentibus epitaphiis adjungere. Est autem ea scripturae diversitas quam in ejus nomine vides, petita ex libertate sive licentia illa qua in hujusmodi nominibus uti poetae consueverunt.

Τουρνήβου μὲν πρὶν κλέος ἔπλετο οὐρανόμηκες,
Νῦν δ' αὐτοῦ ψυχὴ οὐρανοῦ ἐνναέτις.
Καὶ γὰρ ἐπιχθονίης σοφίης δεδαημένη ἄκρα,
Ἦλθε καὶ οὐρανίης ἄκρα δαησομένη.

In manes ingrata tuos haec ora ferentur,
Quod taceant te, à te quae didicere loqui.
Sed reus hujus agi malo, chariſſime, laudes
Ingenii culpa quam tenuare tuas.
Ergo alii laudent: ego tantum epigrammate teſtor,
Laudibus haud ullum par epigramma tuis.

Cur placuit cunctis Turnebus? cur tot amici
Illi, vix hoſtes unus & alter erant?
Cur placuit cunctis? tot linguis lingua diſerta
Totne ille potuit conciliare viros?
Cur placuit cunctis? an quod certare videbant
Iudicii dotes dotibus ingenii?
Cur placuit cunctis? cunctas placuitne quod artes.
Excoluit Grajas, excoluit Latias?
Cur placuit cunctis? an quod totuſque lepores
Spiraret, totus quod lepidoſque ſales?
Cauſæ equidem ſunt hæ: ſed & haec eſt maxima cauſa,
Is placuit cunctis quod ſibi non placuit.

Illo enim ſeculo minime turpe ducebatur Typographicum ſubire munus, ut quidem hoc noſtro, & Profeſſorium. Exemplo eſſe poſſit *Joannes Oporinus* Graecae linguae apud Baſilienſes Profeſſor & Typographus, & praeter eum, *Franciſcus Raphelengius* Hebraearum literarum apud Lugduno-Batavos Profeſſor & Typographus. Horum, quos ſupra dicebam, virorum adhortatione atque auxilio, cum & ſumma ſua

ſua diligentia, ac indefeſſo labore ad aliquod doctrinae faſtigium perveniſſet, ut plurimos viros à facie non tantum, verum etiam eorum ſtudia ac vitas cognoſceret, nihili aetatem juvenilem, itinerisque incommoda faciens, totam pene Europam peragravit, multaſque volitavit per gentes ac per regna, ſolam eruditionem, eâque famam venaturus. Viſitavit itaque doctos & indoctos, publica luce vel tecto & umbra gaudentes viros; imo ipſiſcum Principibus atque Regibus colloquutus eſt. Nam plurimorum regum atque Principum in aulis diu verſatus eſt, ubi practicen (theoriam enim antea ex libris quos

——* *Multos Auctor evolvit* ——
Graecos, Latinos, Gallicos, Hiſpanicos.
Evolvit auctor & libros quos poſteri.
Gentis Latinae poſteris linquunt ſuis.

Sibi comparabat) quandam vidit multorum conſiliorum ſeu monitorum quorum pleraque principibus olim data fuerant, ac dabantur indies. Sic ſe per quindecim menſes in aula regis *Henrici* Gallo-poloni commoratum fuiſſe ipſe auctor eſt. *Venetiis* fuit apud Odettum Selvam *Henrici* II. Gallorum Regis legatum, qui cum noſtro *Henrico Stephano* tam arctam conjunxit amicitiam, ut ad pleraque, à quibus alii excluderentur, eum admitteret. Adfuit iſtic quoque *Carolo Sigonio* viro doctiſſimo, quocum, ut & duobus Patritiis, (fortean Lauredanis, nam in aedibus Andreae Lauredani Patritii Veneti lapidem antiquum ſe deſcripſiſſe refert) Bibliothecam Beſſarionis ingreſſus eſt, in qua editionem Germanicam Maximi Tyrii cum Manuſcripto Codice contulit, multoſque cum

* *Muſ. Mon. Princ. pag. 26.*

cum ipso *Carolo Sigonio* instituit de studiis rebusque politicis sermones. Eo tempore etiam convenit *Arnoldum Arlenium*, cui suum Maximum Tyrium inscribit. *Patavii* cum commoraretur familiaritate usus est *Francisci Robortelli*; nec non *Dionysii Lambini* qui fortassis hic studiis incumbebat, quemadmodum noster *Henricus Stephanus* se cum *Ioanne Bellurae o*, quondam Galliarum Regi ab intimis consiliis, ejusque apud *Helvetios* legato, fecisse testatur. Cum itaque per omnes Bibliothecas totius Italiae artem venaticam exerceret, nullas voluit praetermittere. Nam non modo publicas, sed ex privatis etiam eas, quae locupletiores habebantur, pervagatus est. *Romae* conjunctissime vixit cum *Guilielmo Sirleto*, qui ipsum exemplari Athenagorae de carnis resurrectione donavit. Excerptas illas Graecas in quadam Bibliotheca hic etiam vidit, quas jussu cujusdam nobilis Latinas fecit, & postea *Diodoro Siculo* subjunxit. Quid? ipsa enim manuscripta exemplaria, quae gratis accipere non poterat, multo labore, multaque pecunia, hîc & ubique locorum, sibi, prae amore in rem literariam, comparabat. Descripsit hîc & in margine sui codicis Athenaei annotavit omnes variantes lectiones; quibus usum se fatetur gener ejus *Isaacus Casaubonus*. *Genuae* quî fuerit hisce verbis ipse enarrat: *Memini enim me Genuae ante multos annos* (scribebat enim haec Anno M.D.XCIV.) *Ita circa delicias Gallicizantibus excipi, ut non Genuae, sed in medio Lutetiae, mihi natalis soli, & in mensarum ibi lautissimarum lautissima epulari mihi viderer.* Tandem quoque ut iter per *Italiam* absolvamus, dicimus ultimo, quod primo dicendum loco fuerat, de itinere *Florentiae*, cujus ipse meminit in poemate *Mus. Mon. Princ. pag.* 253.

Anno

Amo te, amavi jam puer, Florentia.
Spectata in annis nam fuisti & tu mihi
Teneris: petoque Romuli quum moenia
(Si Roma servat tam vetusta moenia)
Et Romuli pedem referens à moenibus.
Spectator haudque per dies paucos tui
Tunc esse volui: saepe Phoebe cornua
Sua reparavit, dum fruor spectaculo.
Tu civitatum (post Neapolim tamen)
Gratissima omnium Ausones quas incolunt,
Mihi fuisti. Sed volo Florentia
Verum fateri (namque mos est hic meus,
Fateri amico vera, amicae & cuilibet
Eadem fateri) gratior fores mihi
Si non & impio Machiavelo solum
Natale (namque confiteris hoc) fores.

Hîc Florentiae in celeberrima Bibliotheca *Medicea* fuit, è qua veterum Poëtarum Epitaphia in *Homerum* primus deprompsit. Perlustrata itaque Italia in *Angliam* se contulit, ubi regi satis fuit gratus acceptusque. Cum autem Londini esset, oculatus fuit testis de Musicae modulationis vi ad capienda animalia, simul & monenda, quam, propter elegantiam, Historiam nullus praeterire possum, quin adscribam. * „*Cum Londini*, inquit, agerem animum cupido incessit visendi leonem, cujus omnes mihi vastitatem praedicabant. Forte accidit, dum ejus una cum aliis sodalibus spectator essem, ut ingrederetur juvenis organum quoddam circumferens. Is quum paullo post hortatu nostro (experiri enim licebat, quam verum esset, quod de leone ferebatur) pulsare illud coepisset

* *In Praef. Poëtar. Princip.*

„ſet, repente vaſtam illam belluam, relictis quas a-
„vide alioqui vorabat antea carnibus, non modo at-
„tentam muſicorum ſonorum adjutricem eſſe, ſed &
„in gyrum corpus circumagere, perque certos or-
„bes ire ac redire, tanquam tripudiantem non ſine
„ſtupore conſpeximus. Pulſare organum ille deſine-
„bat? ad carnes hic ſuas redibat. Ad pulſandum or-
„ganum ille revertebatur: miſſas carnes hic faciebat,
„ſuamque tripudationem iterum incoeptabat. Nec
„vero hoc tum aliquoties expertos eſſe; ſatis eſſe no-
„bis viſum eſt: ſed & aliquot poſt diebus eo reverſi ite-
„rum experiri voluimus: & experti certe ſumus ſed
„minore tamen cum admiratione, quod tunc in vo-
„randis carnibus occupatus minime eſſet. Quid prae-
terea vel egerit vel viderit, nondum lectione ſumus aſ-
ſequuti quamvis nullus dubitem, quin Oxonienſem Bi-
bliothecam perluſtrarit. *Angliam* poſtquam vidiſſet;
domum tendens, *Lovanium* iter direxit, ubi amicitiam
junxit cum *Petro Nannio* Alcmarienſi, celebri in illa
Academia Profeſſore, cui ſuas in Athenagoram notas
Anno. M. D. LVII. emiſſas dedicat. Hinc vero proxi-
mum mihi ſemper viſum fuit, eum paucos ante an-
nos, niſi malis menſes, iter iſtud confeciſſe. Cum jam
Lovanii eſſet, conſuluit codicem Anthologiae ſeu flo-
rilegii, id eſt veterum Graecorum Poëtarum Epi-
grammata comprehenſa libris ſeptem *Clementis An-
geli*, cujus codex ei quid praeſtiterit, in notis ad-
jectis quivis videre poterit. Interjectis aliquot annis,
quos domi libris excudendis impenderat, (nam illo
tempore id eſt ab anno M. D. LVIII. ad annum M. D.
LXIX. ipſum illuſtriſſimi viri *Hulrici Fuggeri* nati die.
XX. April. M. D. XXVI. Typographum fuiſſe, li-
brorum tituli referunt. Hujus quam multa in *Henri-
cum* noſtrum *Stephanum* exſtant beneficia, ipſe enar-

rat

rat in Epistola dedicatoria *Diogeni Laertio* praefixa, obiit hic Fuggerus anno M. D. LXXXIV. aetat. LIX. die XXV. Junii Heidelbergae, quo se receperat, atque ibidem etiam sepultus est) ob bella * *(discrepans quae moverat Religio)* intestina Galliae, (in quam postea tumescentibus bellis civilibus quae omnes ejus rationes jam pridem turbaverant; rediit), cursus sui vestigium flexit in *Germaniam* & *Austriam* in qua, quas viderit urbes, quos visitarit eruditos, jam enumerabimus. *Francofordii* cum esset, visitavit *Bonaventuram Vulcanium*, quicum longos sermones de re literaria habuit, & serias de negligentia veterum interpretum querimonias protulit, cui suum Arrianum de expeditione Alexandri cum M. S. codice collatum dedit, ea conditione, ut, dum ipsi propter alia negotia non vacaret, in lucem ederet, qua fide etiam se *Vulcanius* liberavit. Cum jam Francofordio discedere noster decrevisset, emit sibi equum Turcicum *plane generosum, ac morae (praesertim quum suos comites videbat praecedere) impatientem, ac paullo obdurioris oris, quo equo Francofordio cum egressus non procul à porta, quam bonus cursor esset, experiri vellet, contigit ut illius Ovidiani equi more currens, ab ipso retineri non potuerit, praevidente alioqui septum quoddam transversum, quo iter includebatur. Eo igitur quum se invito currens pervenisset, & supersilire quidem tentasset, verum non potuisset; (hoc interim sine magno periculo factum non fuit) in illud septum ligneum ita calces impegit, ut fregisse dictus sit: adeo ut ad Magistratum vocatus fuerit de damno sarciendo.* Quo cum veheretur Poëma illud *Musa principum Monitrix confecit.* Hinc profectus est *Argentoratum*, ubi *Philippum Sidnaeum* quem primum *Heidelbergae* viderat, salutatum

 va-

* *Mus. Mon. Princ.*

vadit, ac libellum Graecum praesens praesenti de manu in manum dedit. Interea dum hic versaretur literas *Oberti Giphanii* ad eum datas accepit. *Viennae Austriae* nostrum *Henricum Stephanum* laudabili atque benigno hospitio excepit vir clarissimus *Joannes Crato à Craftheim Caesaris* consiliarius, quique primum inter medicos ejus locum à multis annis jam tenuerat, cui *Diogenem Laertium* Gr. Lat. ab eo editum postea dedicavit. Plures sermones tunc temporis quoque habuit cum *Joanne Sambuco, Philippo Sidnaeo*, (quem primum in *Germania* deinde in *Austria* cognovit, cujus nomine editionem Herodiani & Zosymi postea proscripsisse video) aliisque viris doctissimis & celeberrimis: atque hinc abiens in *Hungariam* est profectus, è qua tandem domum reversus, totum se curis & laboribus Typographicis dedidit, & omnes fere scriptores venustissimis typis & doctissimis animadversionibus excusos, orbi exhibuit, quibus tantum sibi honoris laudisque comparavit, ut ejus in bonis auctoribus expoliendis studium & industriam, veluti haereditarium pensum eruditi omnes dicerent. Sic enim doctissimus *Theodorus Beza* in praefatione comm. in Novum Testamentum. *Henricum Stephanum Paternae sedulitatis haeredem* dixit. Audi, quaeso, ut innumeros alios mittam, *Andream Schottum*, * ejus diligentiam praedicantem. *At Henrico Stephano* (inquit) *Typographorum* ὀρχάμῳ *salva sua esse volumus, qui saepe summa accuratione* καὶ ἀγχινοίᾳ, *in Graecis praesertim auctoribus, cum notis additis, tum in schediasmatum libris nodos quoque scriptorum perdifficiles expedire erat solitus.*

Nam ut ad minima etiam curam suam ostenderet, ipsa nomina propria Virorum & Mulierum, Equorum, Canum, aliorumve animalium proprio signo indicavit.

* *In Epist. ad Lect. pro Lysiae Oration.*

vit. Item nomina Gentium ſeu Populorum, Urbium aut à Gentis Urbiſve nomine deductorum. Alio ſigno expreſſit Montium; alio Maris, Fluvii, Fontiſve nomina. Quid? ipſas ſententias, quas Graeci Gnomas appellant, alia deſignavit nota, adeo ut omnia, quantumvis ignoranti, ſtatim ex diverſis ſignis fiant nota. Sed, quid ego haec commemoro, plura circa Graecos Latinoſque ſcriptores quae praeſtiterit unusquiſque ex libris ab eo divulgatis videre poterit. Quippe ſatis magna copia omnium verſantur in manibus. Attamen ut ab omnibus gratiam ineamus, eorum Catalogum adornavimus, qui una cum aliis ad artem Typographicam cum aliorum tum maxime *Stephanorum* ſpectantibus, hujus calci ſubjectus eſt. Quem laborem auctore *Cornelio à Beughem* Embricenſi ejuſque urbis Tribuno plebis ac Bibliopola, viro diligentiſſimo & nobis familiariſſimo, per *Bibliographiam Juridicam*, & *Phyſicam* aliaque ſcripta notiſſimo ſuſcepimus, qui ea, de noſtris *Stephanis*, quae ſibi conſtabant, non modo ſuppeditavit liberaliſſime, verum donavit liberaliſſime: Quae ceteroquin Bibliographiae ſuae univerſali impreſſorum librorum, quam meditatur, inſeruiſſet, nunc vero, actum agere ne velle videatur, ſilentio involuturus. Quantum literarum commercium hic *Henricus Stephanus* cum doctiſſimis ubique terrarum viris exercuerit, facile quivis vel conjectura perſequi poterit, manifeſtumque ei fiet, qui *Goldaſti* centuriam unam literarum Philologicarum reſpexerit, illa enim *Joachimi Camerarii*, *Caroli Sigonii*, *Oberti Giphanii*, *Joannis Leunclavii*, *Joannis Sambuci*, *Pauli Meliſſi*, At quantorum virorum? ad noſtrum *Henricum Stephanum*, ac ejus ad illorum reſponſorias literas continet. Primum, (ut tandem ad proprios devolvamur labores,

* *Quorum si nomina quaeras*
Promptius expediam, quot amaverit Oppia moechos,
Quot Themison aegros autumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos: quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus,
Percurram citius, quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.

Quam illos ex ordine recenseam) hic sibi nomen fecit, mirificamque de se excitavit famam, cum admodum juvenis ex Italia redux Anacreontem Teium, (cujus carmina primo gallice, deinde vero ut amicorum petitioni satisfaceret latinas fecerat), per innumeros annos quasi sepultum, ac latitantem, typis suis a. M. D. LIV. primus evulgaret, una cum Pindaro, ejusque versione, de qua ipse ita loquitur in Dialogo de bene instituendis Graecae linguae studiis: *juvenis erat ille* (sc. *Henricus Stephanus*) *& quidem valde juvenis cum Pindarum verteret, ideoque & minus exercitatus, & (ut minus exercitatis accidit) tumidus*, cui ita invigilaverat, ut ex nimia illa diligentia atque lucubratione quartanam in febrim inciderit, quâ toto semestri vexabatur, idque tanta cum molestia, ut vix libros inspicere ei lubuerit. Hac sanatus, ut erat vir summa alacritate atque ingenii foecunditate, continuis laboribus atque studiis sese plane dedit, quibus tandem eo pervenit, ut ipsi indifferens foret, Graecene an Latine quidquam conscriberet, quod incitamentum atque adjutorium maximum fuit, ut utrasque linguas, praecipue tamen Graecam, adeo necessariam, tam diligenter excoluerit: praesertim cum animad- ver-

* *Juvenal. Satyr.* x. *vers.* 220.

verteret omnium, etiam doctissimorum virorum, circa Graeca studia negligentiam. Quapropter, ut etiam ab ipsis elementis initium faceret, scripsit *Paralipomena Grammaticarum Graecae linguae institutionum.* Praeterea tractatum Gallicum de *la conformité du languagué François aves le Graec* apud eundem M.D. LXVII. impressum. Istius libelli hic titulus est referente Dom. la Croix du Maine.

En ce livre il est monstré (entre autres choses) comment le naturel du Grec se conforme & accorde mieux à celuy du François, qu'à celuy du Latin.

Au bout sont quelquel mots François, Etymologisez du Grec, mais l'Autheur dit ailleurs touchant ce recueil, qu'il s'en acquitta de leger; pource qu'il ne le donnoit que comme un succrest de l'autre livre; & le promet beaucoup plus ample: en reiet tant toutes fois plusicurs etymologies, lesquelles il monstrera estre, les unes, contraintes & forcées: les autres, forties de l'ignorance de la langue Grecque: imprimée premierement par l'Autheur l'an 1567. & depuis par son frere l'an 1568. à Paris.

Item, (ut illud verbo hoc loco interponam) *Tractatum de Gallici sermonis cum Latino convenientia.* Quem ego verisimilius mihi videor *Carolo Stephano* tribuere. Quod ad Graeca iterum, dedit *Animadversiones in quasdam Grammaticorum Graecorum traditiones Ludovici Enochi.* Quas selegit discipulus ejus omnium suorum optimus ac doctissimus *Fredericus Sylburgius*, cujus nomen amplissimis verbis ornat in praefatione annotationum seu specilegii in Eclogas Xiphilini contractoris Historiarum Dionis Cassii: *ad Sylburgium autem* (inquit) *quod attinet, si eum laudare non ausim quoniam cum ejus laude mea conjuncta esset; atque adeo in me, quem habuit*

buit novo quodam more dominum simul & praeceptorem, (quod ille beneficium pro sua ingenuitate agnoscit) redundare videtur: haud illaudatus manserit tamen, sed sua eum erudita diligentia vel omnibus mecum tacentibus laudaverit) & eas Clenardo subjunxit. Edidit quoque dialogum, seu, ut Latine loquar, sermonem *de bene instituendis Graecae linguae studiis*, & *dialogum de parum fidis Graecae linguae magistris.* Hisce adjungere liceat, ingentem ac incomparabilem Graecae linguae Thesaurum, quem alio loco *Bibliothecam* vocat, quo omnibus viris doctis palmam praeripuit; facemque summis cimmeriis in tenebris accendit maximam. Quem praeter Thesaurum etiamsi nihil edidisset, nunquam tamen pares laudum suarum praecones invenisset. Nam in hoc ejus beneficio tanta est magnitudo atque excellentia, ut eam complecti oratione possit nullus; imo, ut cetera silentio praeteream, non tantum ut Typographorum, sed omnium fere eruditorum *Corona* (veluti ejus nomen fert) meruerit appellari. Nec id soli *Henrico* evenit. Nam etiam alii ejusdem stripis *Thesauros* ante ipsum effodêre; quod nec iis male cessit. *Carolus* enim *Stephanus* ejus patruus *Ciceronis* Thesaurum. *Robertus* vero ejus Pater *linguae Latinae*; noster *Henricus linguae Graecae* modo dictum thesaurum eruit, in quos Gr. & Lat. Linguae haec doctissima atque elegantissima confecta carmina, eruditissimus *Theodorus Beza* Vezelius. *Roberto Stephano & Henrico Roberti filio, illi quidem Latinarum, ipsi vero Graecarum musarum fautori & alumno dicavit.*

IN

IN THESAUROS LINGUAE GRAECAE ET LATINAE

Ausonias quondam Musas Robertus *egentes*
Excepit grato providus hospitio:
At nunc Henricus, *patris vestiga sectans,*
Errantes graias excipit hospitio
Ille autem memores accepti muneris ecce
Aeternas Stephanis *constituere domos.*
Vos aeternum igitur Stephani *nunc vivite. Namque*
Aeternum praestant vivere Pierides.
Et vos cum Stephanis *aeterno foedere pactae*
Et Graiae & Latiae vivite Pierides.
Tu quoque Musarum cultrix, Musis Stephanisque
Communes colito sedula turba domos.

IN THESAURUM LINGUAE GRAECAE.

Eruit ille Argos Agamemnoniasque Mycenas
Romanus Troiae Mummius ultus avos.
Quinetiam longum Romanis fracta tyrannis,
Graecia, mox Turcae est dilaniata cani.
Sic periit Sparte, sic vos periistis Athenae:
Sic nihil infelix Hellados Hellas habes.
Quorsum ergo novus hic populator tertius (inquis)
Quae solae superant qui rapit unus opes.
O te, inquam, Henrico *Hellas praedatore beatam,*
Quas sparsere alii qui legit unus opes.
Immo o te tandem isto praedatore beatam,
Nam te eadem ditat quae populata manus.

IN EUNDEM.

Quid Graiis inhias spoliis nunc barbare miles?
En Graias Gallus congerit unus opes.
Immo istas Gallus quas veras somniat (inquis)
Possideat), reliquas dum mihi linquat opes.

Hoc autem opus (quo summo jure totum orbem literatum, sibi de vinxisse dicatur) quot quantisque Graecae linguae abundat antiquitatibus, elementis, atque originibus, ut doctissimi viri simul & pueri ex eo depromere utilitatem maximam una cum jucunditate possint, ipse satis abunde docet in *Epistola de statu suae Typographiae*, quam huic nostrae subjunctam curiosus, respicere poterit. Hic ille Thesaurus est, quem (ignoscant mihi manes ejus, si quid durius in ipsum dixero) compilavit infidelissimus omnium famulorum *Joannes Scapula*, quâ nimia sua diligentia praeceptori simul ac Domino suo exitium paravit. Hinc saepius *Henricum Stephanum* exclamasse ferunt, istum Thesaurum ipsum pauperem reddidisse. Quod etiam carmina sequentia abunde confirmant.

HENRICUS STEPHANUS

Lectori, de suo Thesauro.

Θησαυρὸν γλώσσης Ἀσκραῖος εἶπεν ἄριστον,
Πασῶν δ' Ἑλλαδικὴ γλῶσσα ἀρίστη ἔφυ.
Ἀλλ' ὄμοι θησαυροὺς θησαυρὸς ἀπηύρεν, ἄριστος
Πᾶσιν ἐὼν ἑτέροις, ἐστὶ κάκιστος ἐμοί.

IDEM

IDEM DE EODEM.

Thesauri momento alii ditantque beantque,
Et faciunt Croesum qui prior Irus erat.
At Thesaurus me hic ex divite reddit egenum,
Et facit ut juvenem ruga senilis aret.
Sed mihi opum levis est, levis est jactura juventae,
Judicio haud levis est si labor iste tuo.

Sic idem post dedicatoriam Epistolam *Imperatori, Regibus* &c. de hoc suo Thesauro.

Hic Thesaurus, hic est, tuam quem Germania, Caesar,
Hic quem Carle optat multis tua Gallia votis,
Hic est, Elisabeth, tua quem sitit Anglia dudum.
Hic illis Thesauro Arabum pretiosior omni,
Pactoli auriferis fuerit mage charus arenis,
Gratior eoo venientibus aequore gemmis.
Germanos ergo hic Gallosque beabit, & Anglos:
At me, cujus opes tandem consumpsit opimas,
Vestrum est (sic vobis sint regna beata) beare.

DE EODEM.

Insperata alios Thesauros lucra videmus
Ferre repertori: tristemque repente fugari
Pauperiem, vilemque casam mutarier arce.
At me contra inopem meus hic ex divite fecit
Thesaurus, gazasque omnes exhausit avitas.
Si tamen hic animum vestrum pectusque benignum
Conciliare mihi (quod ait se posse) valebit,
Tum vero haud aliter quam quondam Pelias hasta,
Fecerit id vulnus; factoque medebitur idem.

Crisin.

Crisin si spectes, respice *Schediasmata* ejus secundum mensium ordinem collecta, quorum tres priores libri. ab eo 1578. tres posteriores 1589. in octavo sunt editi Deinde *dissertationem de criticis veteribus Graecis & Latinis.* At si ea, quae ad stili nitorem atque elegantiam faciunt, desideres, praesto est *Tractatus de abusu linguae Graecae* qui ipsi primum erat parergon (scribere enim primo de abusu linguae Latinae inchoarat) sed frequentissimae occupationes quibus semper premebatur vehementer, in culpa fuere; Quare inceptum opus derelinquere, (fortassis etiam ob nimiam materiae copiam) & parergon ut ergon absolvere debuerit. Exstat etiam ab eo extempore conscriptus *liber de Latinitate falso suspecta*, cui subjuncta est *dissertatio de Latinitate Plauti* de qua postea pluribus se acturum promisit. Versatur inter manus etiam ejus *dialogus* qui *pseudocicero* inscribitur, & alter qui *Nizoliodidascalus*, in quibus in eos invehitur qui Ciceronem emendare sunt conati. Quod si *Geographica* legere gestit animus, suppeditabunt Tibi materiam ejus *Adnotationes in Dicaearchum de vita Graeciae*, cujus partem primum vidit ex Italia allatam à *Matthaeo Budaeo Guilielmo* filio, & *Dicaearchi sympractor dictus*. Hujus continuationem de Græciae populis aliquando addere est pollicitus. Edidit praeter haec *Homeri & Hesiodi certamen*, primum quod ineditum vidit nactúsque est in Bibliotheca Medicea. Huic certamini annexuit *Parodias* quasdam, una cum elegantissima praefatione, nonnullas quoque *Morales*, ut cum Plauto loquar, praetersas. Quas ipse composuit, ut & *centonum veterum ac Parodiarum* exempla. Inter alia ejus moralia numerari potest utilissimus libellus *Comicorum Graecorum sententiae inscriptus*, doctissimis *Henrici* nostri Commentariis illustratus, qui ab omnibus profecto

legi

legi & relegi meretur. Verum enim vero ut omnium humaniorum literarum peritum se ostenderet, in omni studiorum genere novi quid vel ab eo compositum vel undiquaque collectum edidit. Nam eo semper in genio fuisse se fatetur, ut, ad quodcunque studium animum applicaret, in eo aliquid ipse inveniret, aut saltem iis, quae inventa essent, aliquid adderet. Exemplo sunt *Fragmenta veterum Poëtarum Latinorum*, Opus à patre suo *Roberto Stephano* incoeptum ab eo vero absolutum. Ad *Senecae* lectionem *Proodopoejam* evulgavit cui, propter materiae convenientiam *literas suas ad Jacobum Dalechampium* datas, subjunxit. Vidi etiam ejus librum *de Lipsii Latinitate Palæstra* dictum minime inelegantem; quo magnam invidiam sibi concitavit. Nam quidam, ex discipulis forte Lipsii, eum scripto aliquo lacessivit, de quo vide Epistolam ejus M. D. XCIIII. *Basileae* editam in qua illum *Lipsiomimum* vocat; qui qualisque fuerit investigare nondum potui; de eo autem haec Casauboni verba intelligenda puto (Epist. 182. ed Brunsv. *Nae iste qui nuper tam multa de optimo sene* (Henrico Stephano) *blateravit, & apud Belgas edidit, indignus, qui* Stephano *matulam praeberet.* Praeter enumerata ejus hactenus opera, possideo *Lexicon ciceronianum Graeco Latinum & in M. T.* Ciceronis *quam plurimos locos castigationes*, quod paucis horis, quas ex suo penso plerumque & somno suffurabatur, concinnavit, in cujus procemio dicit, patrem suum *Robertum Stephanum* tot beneficia, in patriam praefacilis contulisse; quot *Alexander Macedo* in suam armis. Quid! si annotationes in *Euripipem, Sophoclem, Herodianum, Dionysii Periegesin, Platonem, Callimachum, Theocritum, Apollonium Rhodium, Anacreontem, Diogenem Laertium, Sextum Philosophum* quem alii Empiri-

cum

cum vocant, quanquam idem sit auctor, recenseam. Quid si in *Aulum*, vel ut alii volunt *Agellium*, noctes ejus recolligam Parisinas à Sammarthano hoc eleganti disticho indicatas.

Quis Stephanum *esse neget Phoebi de sanguine cretum?*
Obscuris adfert noctibus ille diem.

Quid si, in alios scriptores quae praestiterit, enumerem heu? quae non dicenda quae non enumeranda forent. Quas annotationes animadversionesque si quis ad exempla quorundam colligeret, quanta exinde resultarent volumina. Non dicam hoc loco de *praefationibus*, *Apologiis* doctissimis aeque ac acerrimis, *admonitoriis Epistolis* atque *Dedicationibus*, *Diatribis* in *Isocratem*, *Horatium* & *Virgilium*, quas festinantissime conscribere debuit cum vellet suo cursu, prelorum, sub quo ambo eodem tempore sudabant, cursum adaequare. Tacebo de *Prolegomenis*, aut stili materiaeque *Judiciis* quorum exemplo sunt praemissa in *Diodorum Siculum*, *Herodotum*, *Thycididemque*. Quantus autem exstiterit *orator*, praeter verba ejus quae leguntur in dialogo *Pseudocicero* dicto. *Henricus Stephanus*, *Roberti Stephani filius Orator & Philosophus*, testari possunt opera, quae rethoricen spectant ab eo composita & excusa. Inter haec eminet, praestantissimum illud opus è Graecis Latinisque Auctoribus optimis ab eo collectum & emendatum, quod in usum juventutis quoties recusum quis nescit; unde etiam ejus cura circa latinitatem puriorem innotescit. Item *Oratio* ejus quam *Xenophontis* interpretationi praefixit de *conjungendis cum Marte Musis*. Clamant ejus artem & doctrinam Orationes duae ad Ratisbonensem conventum habitae quarum prima ad *Augustissimum*, *Caesarem Rodolphum secundum & ad universos*, *sacri Ro-*

mani Imperii ampliſſimos ordines Ratiſbonae conventum habentes, adverſus lucubrationem Uberti Folietae, de magnitudine & perpetua in bellis felicitate imperii Turcici. Altera ad eoſdem *exhortatio ad expeditionem in Turcas fortiter & conſtanter perſequendam.* Quas ipſe Auctor *Ottoni Henrico Landſchadio* donavit ſequenti in ſcriptione.

HENRICUS STEPHANUS.

D. D.

D. Ottoni Henrico Landſchadio à Steinach.
Ratiſb. in Conventu. Imp.

1594.

Quae Francofurti eodem anno Germanico ſermone in quarto excuſae ſunt. Comparavi mihi aliquando Novum Teſtamentum cum variantibus lectionibus apud patrem ejus *Robertum Stephanum* M. D. L. Lutetiae impreſſum ubi elegantiſſimis manu *Henrici Stephani* conſcriptum literis legitur.

ΕΡΡΙΚΟΣ ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

Νέος ὢν τοὺς ἐξ ἐναντίας, (Reſpiciens ad carmen illud Graecum quod tempore editionis in illud compoſuit minorennis) *στίχους ἔγραψα, τανῦν δ' ἤδη γέρων ὢν ἢ τῷ γήρᾳ ἐγγίζων.*

Ε. Στέφανος.

Haec

Haec ratione manus quam vere accuratissimam ac elegantissimam pónunciavit Scaliger. Nam ut verum fatear, Typorum venustatem referunt, quod etiam ipsum annotasse video, sic enim in dialogo, Musae principum monitrici subjuncto p. 307. PHI. *Ac memini* (inquit) *fuisse tibi tum temporis felicissimam manum in exarandis cum Latinis tum vero Graecis literis: atque his potissimum. Dicebaris enim Angeli Vergecii manum aemulari, quae pro exemplari fuit pulcherrimis illis characteribus seu typis Regiis.* COR. *Non absimile vero est te haud falli. Nam & ipse doctissimi illius viri auditor fui: & de mea manu fama illud ferebat, eam esse illius Angelicae aemulatricem. Verum fama (ut omnia augere gaudet) ex felici manu felicissimam faciebat.* Sed progredimur ad ejus opera. Edidit etiam librum cui titulus est *Epistolia*, *Oratiunculae*, *Dialogi breves*, *Poëmatia* ab eo variis ex auctoribus excerpta. Atque ita Recensitis hucusque operibus ejus ad artem Rethoricam spectantibus, ad *Poëtica* transgrediemur, ubi ipse enarraverit, quanto in Poësin amore fuerit ductus, & quemadmodum ad eam primitus pervenerit. Hisce itaque exorditur, praefationem Principum Heroici carminis.

„ Ut lectionis Poëtarum studiosus à teneris propemodum unguiculis fui, ita quos eodem studio teneri „ ac velut poetices candidatos esse animadverti, & „ colui semper, & plurimum amavi: at quos alienos „ ab eo esse cognovi, factum est nescio quomodo, ut „ ab iis paullo itidem alienior animus meus esset. Pri„ mos autem hujusce mei amoris igniculos (ut ita lo„ quar) inde accendi memini, quod cum in prima pue„ ritia praeceptori cuidam traditus essem qui Euripi„ dis Medeam aliis suis discipulis interpretabatur, quo„ ties eos fabulam hanc agentes spectabam (summe

„ enim

enim illi meo praeceptori haec pueros exercendi "
ratio placebat) tanta dulcedine voluptateque meas "
aures illa Graecarum vocum modulatio titillabat, "
(quas alioqui non ultra sonum intelligebam) ut ab "
eo tempore unum hoc noctes diesque versarem, & in "
hoc uno contendendos omnes ingenii nervos existi- "
marem, ut fabulae, cujus spectator saepe fuissem, "
actor & ipse tandem evaderem. Quam autem "
sine literarum Graecarum cognitione voti compos "
effici non possem, ego tum illam ita deperire, ut "
nullus unquam amator amicam vehementius. Sed ec- "
ce, mihi ad cursum parato paratum ostenditur ob- "
staculum, linguae nimirum Latinae (quae Graecae "
interpres esset) ignoratio. At ego tum repugnare, "
& me ignarum linguae Latinae esse acriter perne- "
gare. Quum enim Latinis domesticorum confabu- "
lationibus pueriles aures circumsonantes, ita illi "
sermoni paulatim assuevissent, ut magnam eorum "
quae dicerentur partem intelligerem (quod & matri "
meae usuveniebat) satis me superque illius peritum "
esse persuassimum habebam: ideoque ad declinatio- "
num conjugationumque tyrocinium me vocari, & "
mirabar, & non leviter indignabar: denique in "
Graeca schola assiduum me futurum, à Latina ve- "
ro fugitivum fore profitebar. Hîc in consilium ad- "
hibitus pater, eo facilius desiderio meo & animi incli- "
nationi acquievit, quo magis illis assentiebatur qui "
literas Graecas ante Latinas disci debere censebant. "
Quid multa? declinationum & conjugationum Græ- "
carum taedium (illa spe illectus) avidissime devoro: "
& continuo post, illam ipsam Euripidis Medeam in "
manus sumens, praeceptori Graeca ejus verba non "
Latinis, ut mos est, sed vernaculis id est Gallicis ver- "
bis interpretanti, aures attentissimas praebeo: (quem "
 ego "

„ ego adhuc librum, tamquam meae, quantulacunque „ est, doctrinae incunabula, non secus ac pretiosissi- „ mum thesaurum servo) denique fabulam illam ali- „ quando tandem ipse quoque ago; & quidem toties „ (dum Iasonis modò, modò Creontis, modò Me- „ deae personam repraesento) ut totam fere non secus „ ac Dominicam Orationem memoriæ infigam. A quo „ tempore tam altas in animo meo radices studium po- „ ëseos egit, ut illa non secus ac Sirenum cantibus deli- „ nitus & antea videri potuerim, & nunc quoque for- „ tasse videri possim. Sed tantum abest tamen ut cera „ mihi obstruendas aures adversus sonorum Poëtico- „ rum delitias blanditiasque & illecebras, existimem „ (quadmodum adversus Sirenum cantus Ulyssem sociis „ obstruxisse accepimus) ut contra, si mihi tot esse aures „ quot Argo lumina contingeret, eas ego simul omnes „ sonis illis libenter patefacturus sim. Hic igitur quantus qualisve Poëta fuerit indicare poterunt ipsius *Disticha, Tetrasticha* plurimis fere auctoribus ab eo excusis, præfixa. *Hexametra*, *jambica*; *Principum monitrix*, *Musa*, sive *de Principatu bene instituendo & administrando Poëma.* Item *Rex & Tyrannus* carmine descriptus, quae omnia peregrinans; patria exsul, maxima quidem ex parte, equitans, pro more suo composuit. Nihil enim ipsi magis fuit familiare, cum ut tempus viaeque taedium falleret, tum, ut propter solitudinem nihil foret impedimento, atque adeo animus paratior attentiorque ad rem praesentem. Hinc de carminibus suis inter equitandum confectis, tam illustre testimonium reliquit. * *Ad ipsam autem scriptionem* (carminum) *quod attinet, non ut* οἰκοθεν μάρτυς, *sed ut ex meo sensu de aliis conjecturam faciens, hoc profiteor, qui inter meos versus Graecos pariter Latinosque magis probantur, vel potius minus improbantur,* eos

* *In Praef. Graec. Poët. Princ. pag.* 13.

eos à me equitante scriptos omnes fuisse: ejusque laboris hanc mercedem retulisse, quod mens dum in eo esset occupata, non solum omnis ipsa aegritudinis oblivisceretur, sed ipsi adeo corpori famis sitisque (si quando via jejuno longior esset) aliorumque omnium, quibus alioqui obnoxii sunt viatores incommodorum dulcem oblivionem afferret. Aliis operibus numerando jam percensitis adde *Poëmatium* cujus versus intercalaris CAVETE VOBIS PRINCIPES. Cui adjunctus est dialogus, quem quare subjunxerit haec brevis ad lectorem ejus praefatio indicat. *Quasdam (inquit) memorabiles & magni momenti historias, quae in praecedente Poëmatio attinguntur, de caedibus duorum regum & principis Uraniae, hac nostra aetate nefarie perpetratis, & de variis talis caedis periculis, quae regina, cujus ibi fit mentio, non sine magno miraculo vitavit; in sequente dialogo perscriptas habebis, nec non de imperatore Germaniae, qui superiori seculo à monacho sublatus est veneno, injecto ei rei, quam hic hostiam sacramentalem vocabat.* Quo dialogo odium, quod sibi apologiâ in Herdotum conflarat, tantopere adauxit, ut nisi sibi fuga consuluisset, igne fuisset concrematus, quemadmodum effigies ejus publicis ignibus à carnifice in cinerem est redacta, unde, ut erat dicax, saepissime eum jocatum fuisse ferunt, *se nunquam magis riguisse*, recesserat enim in nive tectos Averniae montes, *quam cum Parisiis ustularetur.* Sed hoc solus refert Vir Clar. *Cornelius Tollius* in appendice *ad Pierium Valerianum de Literatorum infelicitate.* Hunc deceptum plurimi statuunt; nam patris ejus *Roberti Stephani* effigies concremata est, ut antea in ejus vita vidimus, quod multorum auctorum testimonio confirmatur, non autem *Henrici.* Ad me quod attinet, relinquo fidem penes eruditissimum Tollium, & rem in medio, usque dum aliorum auctoritate litem hanc dirimere

poſſim. Nam, ut ingenue id fatear, non ſuccurrit me uſpiam, de combuſtione effigiei *Henrici Stephani* legiſſe. Illa autem ſcripta indigitaſſe *Iſaacum Caſaubonum* ſuſpicor; cum Epiſtola 182. inquit: *poſtrema etiam quaedam illius ſcripta vellem non ſcripta. At enim vero quis mortalium ſuis naevis caret. Quid? nonne* ὁ μαγειρείτης ἄλλοισιν ἐσθλοῖς *facile* τόνδ᾽ ἀπωθεῖται ψόφον. Adcenſetur etiam ejus operibus *Poëſis Philoſophica* ex variis auctoribus ab eo congeſta; & *Hendecaſyllaba* emporio Francofordienſi ſubjuncta. Tum *Parodiarum moralium* libellus, quem ut viae taedium falleret, equitando confecit. Item *ſelecta epigrammata* una cum *Theodori Bezae* epigrammatibus excuſa, & tandem *querimonia artis Typographicae*, & quae illi ſuffixa ſunt. Hiſce adde *carmen ejus de ſenatulo foeminarum.* Argentorati apud *Antonium Bertramum* M. D. XCVI. in quarto excuſum: quod *Georg. Draudius* citat in Biblioth. claſſi. *Philoſophum* ſi eum quis concupiſcat, relegere is poterit *differentiam Ariſtotelicae ethices ab Hiſtorica & Poëtica.* Dedit etiam, ſi Theologica ſpectes *inſtitutiones catecheticas* Gr. Lat. & Hebr. Gr. Lat. quae Hanoviae cum notis *Bercheti* in octavo A. 1604. denuo prodiere. Item Pſalmos quoſdam Davidis in ordinem *Poëticum* redactos. Quam fuerit peritus juris pro me enarrabit ejus praefatio, quam *juris civilis fontibus*, ab eo A. 1580. in 8. editis, praefixit. Circumferuntur ab eo etiam *ſpecimen colloquiorum ſeu dialogorum Graecorum*, & opuſculum de *Philippo Macedonum rege in Graeciam variis artibus olim graſſato, & de Turcio Graeciae rege in Germaniae vicina loca graſſante, ac in ipſam graſſari conante.* Ex libris ejus Gallico ſermone ſcriptis, hoſce ex Catalogo gallico excerpere licuit.

Henry Eſtienne *les premices ou le premier livre des proverbes epigrammatize ou des epigrammes proverbiales* & *c renges en lieux communs* in 8. item. Hen-

Henry Estienne *l'Alcorans des Cordeliers*, *tant en Latin*, *qu'en Francois*, *c'est a dire*, *recüeil des plus notables bourdes & blasphemes impudens de ceux*, *qui ont ose comparer S. Francois à Jesus Christ*, *tire du grand livre des conformites*, *jadis compose par* F. Barthelemi *de Pise & parti en deux livres à Geneve.* 1578. Vir clarissimus *la Croix du Maine*. Praeter enumeratos ex ordine hosce recenset atque enumerat.

L'Introduction au traité de la conformité des merueilles anciennes avec les modernes, ou Traité preparatif à l'Apologie d'Herodote.

l'Autheur se plaind ailleurs, *tant de ceux qui depuis la premiere impression ont brouillé ce livre*, *par les choses qu'ils y ont inserées : qu'aussi de ceux qui lisent la*, *les Histoires choisies par luy*, *pour servir de tesmoignage à son propos*, *sans les rapporter à leur but*, *qui est l'Apologie où defense d'Herodote.*

Les plus notables & plus anciennes Histoires entre les Grecques & Latines, recueillies & traduites par luy.

Comment chacun peut acquerir de la prudence par la lecture des Histoires.

Haranges prinses des plus anciens Historiens traduites par luy au plus pres du Grec, & sans changer, adjouster, ou diminuer, comme il à esté fait es precedentes traductions.

Deux oraisons d'Isocrate, traduites par luy.

Quatre oraisons de Dion (sur nomme Chrysostome, à cause de son eloquence : c'est à dire, Bouche-d'or) de sa traduction.

Trois traitez de Plutarque, traduits par luy.

Deux oraisons de Synesius : dont l'une est, de la Royauté, ou gouvernement d'un Royaume, de sa traduction.

 Ad-

„ Advertissemant aux Princes touchant les flat-
„ teurs.

„ Discours sur l'opinion de *Platon* & *Xenophon* (di-
„ sciples de *Socrates*) touchant la capacité de l'esprit
„ feminin.

„ Des anciens guerriers de la Gaule, & de leurs
„ successeurs.

„ De la preeminence de la couronne de France.

„ Epistre Laconiques (c'est à dire, ayans une gen-
„ tile brefveté) de plusieurs Grecs. Ensemble les epi-
„ stres de Brutus, avec les responses, recueillies &
„ traduites par luy.

„ De la brefveté qu'admet le langage François, non
„ moins que le Grec, ou le Latin, avec un advertis-
„ sement de plusieurs superfluitez de langage (appel-
„ lées Pleonasmes) qui nous sont ordinaires.

„ Traité touchant les dialectes François, monstrant
„ que nostre langage en est enrychi, comme le Grec
„ par les siens: & qu'aussi la diversité est semblable en
„ quelques choses.

„ Oraison Monstrant qu'il ne faut croire aisément
„ aux accusateurs, traduite de Lucian, ou plustot de
„ celuy auquel on à donné ce nom.

En l'epistre mise devant sa traduction, il rend raison pour laquelle il n'a estime point ce livre estre de Lucian: & pourquoy il a interpreté ainsi le tiltre, & non pas, de ne croire aisément à calomnie. Il advertit aussi de plusieurs autres fautes notables commises par les precedents traducteurs.

„ Plusieurs Dialogues de Lucian, traduits par
„ luy.

„ Observations de quelques secrets du langage
„ François. Ensemble sur les expositions d'aucuns
„ mots empruntez du Grec, où du Latin, dont la

„ naive

naive & vraye signification est ignorée de plu- "
sieurs. "

De la difference de nostre langage François d'a- "
ve, l'ancien. "

Dialogue intitulé, le Correcteur du mauvais lan- "
gage François. C'est à dire des fautes que plusieurs "
y commettent. "

De l'Orthographie & Kakographie Francoise. "

Deux Dialogues, du nouveau langage François "
Italianizé & autrement, desguisé, principalement "
entre les Courtisans de ce temps, imprimé par l'Au- "
teur, l'an 1578. & depuis par un autre à Lyon. "

Traité des proverbes François. "

Project du livre intitulé, de la precellence du lan- "
gage François, dedie au Roy, imprimé à Paris par "
Mamert Patisson, l'an 1579. "

Plusieurs advertissemens touchant les traductions "
du Grec ou Latin en François. "

OEUVRES DUDIT HENRY ESTIENNE,

En Poësie Françoise.

Epistre au Roy touchant l'enrichissement du "
langage François par moyen du Grec: pour luy "
estre presentée avec le Thresor de la langue de "
Grecque, composé par ledit Estienne. "

Epigrammes sur divers subjects. "

Plusieurs epigrammes Grecs traduits par luy. "

Poësies Grecques & Latines, de divers, traduites "
par luy. "

„ Plusieurs sentences des Poëtes & Latins, de sa „ traduction.

„ Conseils & enseignemens, concernans la Philoso- „ phie morale.

„ Autres enseignemens, par similitudes, ou com- „ paraisons.

„ Deploration de la mort de tres-vertueuse Damoi- „ selle Barbe de Villay.

„ Les Adieux & Contradieux à une Damoiselle.

„ Poëme contre la calomnie, & les calomniateurs „ dedié au Roy. De eo mentionem facit in fine Præfationis Poëmatii Musa Monitrix principum dicti.

„ Poëme contre le Babil, & les Babillards.

„ Poëme contre la flatterie, & les flatteurs.

„ Poëme contre l'ingratitude, & les ingrats.

„ Poëme contre l'Avarice, & les avaricieux.

„ Poëme contre l'Orgueil, & les orgueilleux.

„ Poëme contre l'Iurongnerie, & les iurongnes.

„ Poëme sur la loüange de la Poureté contente.

„ Poëme de la loüange des lettres, & des hommes „ lettrez.

„ Poëme à la loüange de ceux qui ont joint l'a- „ mour & l'estude des lettres à l'amour & l'exercice „ des armes.

„ Poëme contre les ignorans & ennemis des let- „ tres.

„ Aucuns des livres susdits courent soubs le nom du „ Sieur de Griere, qui est une sienne Terre.

Hoc eodem (ut ad viam redeamus) Anno. M. D. LXXVIII. ejusdem tractatus, quem supra adduximus de linguæ Gallicæ cum Græca convenientia est editus, cui interjecto quadriennio addidit *Hypotheses linguae Gallicae*. Quas an hisce verbis an vero praedi-

ctum

ctum tractatum, an alium describat, minime definio. Versus plures sunt, sed quia ibi occasio describitur non ineleganti carmine illud describere non gravabimur, ut etiam ipse Lector, si quis aliquando futurus est, possit de hoc dubio etiam suum judicium ferre.

** Nec invidebo, quam meretur gloriam,*
Et parte in ista, tertius, cognominis
Quarto, ille princeps, caede cujus antea
Monachum querebar impiasse dexteram.
Libet referre quae docent gentis suae
Ut fuerit illi res honor charissima:
Rex me hic rogavit, vera gloriatio
An esset Italum, proprium quum dicerent
Hoc esse sibi, Ciceroniane scribere.
Respondi, ab illis hoc solere dicier,
Sed arrogantius tamen quam verius.
Tunc ille, Gente nullus in nostra fuit
Mendacii illos, qui queat convincere?
Saltem Bunellum memoria mihi suggerit,
Dixi. Quid? ullum non habes quem nomines,
Hunc praeter? Addo, scriptitasse plurimos
Sermone eodem plurimas epistolas:
Et inter illos nomino Danesium.
Sed fateor (inquam) curiosam ei minus
Hanc scriptionem, sicut & nostratibus
Aliis quibusdam, tunc fuisse: quod dare
In publicum illam non eis cordi foret.
Excepit ille, Sed Itali, quot praedicant
Ciceronianos esse sibi? Quum quatuor
Dixissem habere, Totne? ait. Quid? laus ea
Illis tribuitur omnium suffragiis?

 Uni

* *Mus. Mon. Princ. Pag. 210.*

Uni tribuitur omnium suffragiis,
Manutio cui nomen est: vix caeteri
Tantum tulerint jam decus & ab exteris.
Si pauciores forte sint in Gallia,
Causam sciat istud esse majestas tua,
Quod pauciores partibus multis sient
Qui scriptionis aestiment tanti hoc genus,
Quanti aestimatur ab Italis: labore qui
Dignum esse credant, quem requirit, maximo.
Fecere verba haec ut videretur minus
Dolere, nostrae pauciores Galliae
Ciceronianes esse: sed jussit tamen
Fieret ut à me diligens scrutatio.
Hic sermo memori pectore à me conditus,
Et cupiditati consona mea regiae
Cupido mentem non sinit quiescere,
Est sparsus oras donec à me in exteras
Habens volumen & Bunelli epistolas
Galli, & Italus Manutius quas scripserat.
Vel ipse titulus Galliae magnum decus
Tulit, verumque non minus. Nam Gallus hic
Bunellus, esse dictus est Manutii
Magister, ipso teste vel Manutio.
Praefixa libro fuit & huic epistola
Mea regem ad ipsum: longa & illic mentio
Sermonis, habitus qui fuisset antea
Illum inter ac me, gloriantibus super
Italis sibi esse propriam scientiam.
Oblatus illi gaudium summum attulit:
Quod arguebat omnibus quantum prius
Aegre id tulisset, pauciores Galliae
Ciceronianos esse. Quin & plurima
Loquutus est id amplius testantia,
Sibi nil honore charius gentis suae.

Dixitque tandem, Spero, si scrutatio
Exacta fiat, pauciores non fore,
Potiusque plures, Ausonis quam quos habet.
Quod dico, honore gentis huic regi suae
Nihil fuisse charius tum temporis,
(Nempe ante monachi quam dedissent fascina)
Plerique nosse non minus Galli queunt:
Volo tamen alia te tibi testarier.
Promissum is à me quum librum quendam audiit,
Linguam studebam quo probare Gallicam
Praecellere aliis omnibus (sed excipi
Graecam volebam, prisca qualem secula
Illam audiere, non eam qualem sonant
Qui nunc eorum posteri dici volunt)
Urgere coepit, hunc ut in lucem darem.
Respondeo, A me scriptus is nondum fuit:
Promissus à me est. Haec requirit scriptio
Quaedam memoriae subsidia. Sed haec domi
A me relicta. Tunc, Quid? an caput quoque
Domi relictum? (dixit) at si non domi
Fuit relictum, memoriae pars maxima
Remanet in illo. Si secus, dicenda sit
Valde infidelis: scripta quum tamen tua
Testentur aliud. Sit animus praesens tibi.
Boni illud ipse consulam quod scripseris.
Unum videto, longa ne sit hic mora.
Quod pollicetur (aio) majestas tua,
Consulere sese velle quae scribam boni,
Alacriorem justa reddet ad tua.
Discedo honore laetus: at valde anxius,
Onere sub isto ne labans, sim fabula.
Tandem sed animum colligo: vires simul
Colligere conor. Esse me Lutetiae
Reputo. Librorum in hac Italicorum mihi

Scio

Scio futuram copiam quid roboris
Et istud addit. Luna vix orbem suum
Ter (credo) junctis cornibus compleverat,
Offertur ille quum liber, non qui foret
Calamo exaratus, sed typorum literis.

Forte hic erit ille liber qui exstat Gallico sermone conscriptis in Bibliotheca *Barbarini* (è cujus Catalogo sequentia descripsimus, de quibus certior fieri potuissem, si diutius doctissimus & famigeratissimus *Athanasius Kircherus*, quo cum paullo ante mortem ejus commercium literarum mihi intercesserat, supervixisset.) *Project du Livre intitulé le praecellence du langage François Par.* 1579. in 8. Edidit idem *de Martinalitia Venatione epigrammata.* Heidelb. 1592. in 4. Item *Vita Rustica in Amphit. sap. Socrat.* Item *Dictionarium Graeco Latinum.* 1557. Exstant ejus *Schediasmata* II. *ad Dicaearchum. Aug.* 1600. in 8. Item *emendationes in Homerum.* Ejusdem Notae in *Catullum, Tibullum, Propertium* & *Petronium*, item *Carmina super obitu Petri Victorii.* De quibus nobis nihil certi praeter fidem Catalogi Bibliothecae Barbarinae & Bodlianae. Verum de iis fortean in curis secundis aliquando plura. Enumeratis ex ordine hucusque libris, cum aliorum tum suis typis excusis, progredimur ad alios, quos promisisse legimus, de quorum editione hactenus ne γρὺ quidem innotuit. Horum primo occurrunt *Parangelmata seu consilia militaria* quorum meminit Schediasmatum lib. IV. cap. XXX. *Tractatum de toto interpretandi genere.* Hunc eundem illi, *qui de fidei interpretis Officio, esse, ac in Angelum Politianum* tanquam apologiam scripsisse verosimile semper habui. Politianum tamen tuetur doctiss. *Boeclerus*, è contrario nostrum *Henricum Stephanum* minus

fidum

fidum interpretem pronuntians. Videri etiam poteſt nobiliſſimus *Huetius* ubi de interpretibus agat; qui ad manum jam non eſt. Libros *de mendorum origine &* *Encomium artis Equeſtris*; quod compoſuerat, vel ipſo fatente non evulgavit. Item *Schediaſmata* in quibus omnia fere *Xenophontis* loca expenduntur contra *Joannem Leunclavium*, qui vehementer in *Stephanum* invehitur & ejus animadverſiones irridet, veluti in *Leunclavii* ad *Xenophontem* notis legere eſt. Quid in *Virgilium* noſter molitus fuerit, praefatio indicat. *Tractatum Eraſmianorum Adagiorum* locupletiorem ſe ſuſcepturum dixit. *Scholia* inſuper multo auctiora & emendatiora in *Theocritum* & *Anthologiam* cujus mediam partem vix edidit. Imo & in ipſum *Platonem* (quem elegantiſſimis typis, doctiſſimis commentariis, diligentiſſimis collationibus illuſtratum ut efferret, omnia Bibliothecarum ſcamna partim ipſe movit, partim movenda curravit) uberiores notas promiſit; ſi modo ei copia fieret optimi exemplaris promiſſi, eaſque ſingulari libro edere. In quo etiam quorundam locorum inſignem illuſtrationem ſe depromturum, & ſubjuncturum judicium de ſuis in *Platonem* notis atque conjecturis, addit. *Ariſtotelem Platonis* diſcipulum, ſe praelo ſubjecturum, eoſdemque in eum conatus adjecturum, *Platonis* notae referunt. Quos ut abſolvere poſſet, rogabat ſaepius ſuos lectores fautoreſque, ut ipſi magis quietam vitam à Deo Ter Opt. M. precarentur. Item in *Orationes veterum Graecorum Oratorum* annotationes & emendationes locupletiores, reliquarumque orationum interpretationes, quas ob exſilium addere fuerat prohibitus, pollicitus eſt. Iis enim peculiarem commentarium deſtinaverat. Quia majorem animi attentionem & contentionem poſtulabant. Quod in ſacris deſideramus, eſt *Appendix Concordan-*

tia-

tiarum N. T. in qua ageret de usu quarundam vocum, aliisque nonnullis ad explicationem ac intellectum facientibus, quam etiam exhibuisset, nisi aliis negotiis obstrictus impeditusque, morte fuisset praeventus. In *Graecis* promisit se aliquando scripturum Bibliothecam, primorum Graecae linguae *studiorum*, & Tractatum *de Graecae linguae* arcanis, ac denique exhibiturum novam *Guilielmi Budaei* Commentariorum ling. Graec. cum suis additionibus, editionem. Quod ad *Latina*, scripsit se de *veteri lingua Latina* aliquid coepisse commentari: & olim parentis sui *Roberti Stephani* Lat. Ling. Thesaurum methodo Thesauro ling. Graecae cum suis *Vigiliis* excusurum.

Praeterea pollicitus est opus, quod *Ciceronis, Livii, Plinii, aliorumque doctissimas, pariter & elegantissimas interpretationes complecteretur*, quapropter inscribendus fuisset iste liber VETERIS LATINAE LINGUAE INTERPRETES, O utinam & nobis opus illud, eadem methodo, qua *Atticam* exhibuit, de *aliis linguis scribere*, quod destinarat dedisset. Verum ob *Aristotelis* aliorumque Auctorum susceptam editionem praestare cum non posset, illud negligere ne dicam, supprimere satius duxit. Quae hactenus enarrata si quis bene perpendat, nonne jure meirto Vir Praeclarissime, mirari debet haec omnia qui praestare potuerit? cum corrigendi minus, & varia ejus itinera tantum temporis sibi vendicarint. Imo, nonne saepius exclamatione repetere epigramma elegantissimum à doctissimo *Joanne Posthio Archiatro* Wirzeburgico in *Henricum Stephanum* confectum.

Et libros facere, & doctos excudere libros,
Longus uterque labor, durus uterque labor.

Huic

Huic gemino invigilat pariter tua cura labori
Henrice, *o mira sedulitate virum.*

Atque haec enumeratio vicem indiculi implebit. De indole ejus pauca in hunc usque diem, dum plerosque libros tantum strictim attingere licuit, colligere potuimus, nisi quod fuerit ingenio arrogantiori, rixosiori, morosiori, dicaciori, magisque mordaci, quemadmodum hoc de eo testatur gener ejus Casaubonus ep. LXXXIX. *Optimum* Senem (inquit) (Henricum Stephanum) *nostrum, solum sibi videri sapere nec miror, nec suam ipsi vel famam, vel doctrinam, vel sapientiam invideo*, quae primaria ratio ac caussa erat, quare pluribus fuerit invisus. Quippe aliorum studia vel parvi vel nihili faciebat, sua vero auctoritate, nonnunquam non corrigebat, sed corrumpebat auctorum verum loca obscura & mutila, ut id de eo clarissimus *J. Scaliger* sequentibus testatur, si modo omnia, quae *Scaligerianis* continentur, fide digna sunt. * *Et si id* (inquit, non emendare sed judicium suum inter ponere) *tam religiose observassent importuni isti correctores, cujusmodi habemus* Henricum Stephanum, *qui omnes quotquot edidit, editve libros, etiam meos, suo arbitrio sum corrupit & deinceps corrumpet, & alios multos non haberemus hodie auctores adeo depravatos. Et* paullo ulterius * *Lexicon Erotiani exstat Genevae, apud* Henricum Stephanum *excusum, apud quem invenias auctores mire depravatos, quippe qui* φιλαυτίᾳ *laborans temere quidquid displicet, immutat & corrumpit. Non ita* Plantinus *Antverpiensis, fidelissimus Typographus;* Quae si ejus, ut feruntur, sunt, ignoscenda puto, tamquam parum praemeditata, vel ex ira prolata, nam eleganter quidam de *Scaligeris* scripsit:

Saepius

* *Scalig. prima, pag. 47.* * *Pag. 55.*

Saepius irarumque omnes effudit habenas
Et Pater & Natus.

Verum longe aliud de *Henrico Stephano* judicium literis suis *Josephus Scaliger* * ad *Isaacum Casaubonum* inseruit, nam Magna (inquit) vero jactura ,, Graecarum literarum ille decessit, si praeterita ejus ,, in literas beneficia spectes. Quae majora fuissent, ,, nisi ipse literis, imo potius sibi, defuisset. Equidem ,, non possum facere, quin ejus & vivi actus, & mortui ,, vicem aegre feram. Doleo, quod non praestitit ,, quae potuisset, doleo, quod amicum perdidi. Sed ,, oro te, mi *Isaaci*, ut Typographio unico totius ,, *Hellenismi* custodi, culpa illius ruenti, vestra ope- ,, ra aliqua fultura accedat: Quae à principio tam exi- ,, gua esse non potest, ut non maximae ruinae obsi- ,, stere possit. Quam necesse est exspectari, nisi mature ,, illi occurratur. Vidi apud illum egregia exemplaria ,, ἀνέκδοτα. Sextum Empiricum & alia. Quae tuam ita ,, diligentiam exspectant, ut hoc nomine à socero ne- ,, glecta videantur, ut tibi posteritas hoc deberet, ,, quod ab ipso aequum erat praestari. Sed, ut ad rem redeamus, major laus atque gloria ea propter patris ejus *Roberti Stephani* fuit, si quidem ille non sua semper adeo stabat opinione, ast aliorum virorum etiam doctissimorum plurimum tribuebat sententiis, quas & saepius probabat & sequebatur. Sed ut pergamus, de indole ac moribus *Henrici Stephani* nostri paullo latius agit gener ejus *Casaubonus*, cujus verba, ut à respiciendi molestia, Te, Virorum Maxime, aliosque levem, hic, licet locus longior, subscribam. *Quem enim* * (*Conrado Rittershusio* scribens inquit) *amiseras vereque perdideras ingenii tui foetum, ecce eum*

* *Epist.* XLVI. * *Epist.* XVI.

eum tibi mea opera & fide rediVivum. Postea enim quam de tua re & injuria quae tibi facta erat literis tuis sum certior factus, constitui illico omnem mihi machinam esse adhibendam, omnem lapidem movendum, ut tibi per me satisfieret. Quin hoc vere possum affirmare, antequam ulla inter nos intercederet notitia, saepius me tuam vicem cum N. (Stephano) *expostulasse, quod non eo dico, ut mihi gratiae apponatur. Neque enim captare illo facto tuam gratiam potui, cum tu mihi adhuc notus non esses. Sed enim quia jus & fas ab amico violari intelligebam, quod in me fuit, obstiti. Falleris vero toto coelo totaque terra, si me putas apud senem illum optimum* (Stephanum) *quidquam posse, aut ad ipsius Bibliothecam ullum habere aditum, aeque ac tu, mi Rittershusi, qui tanto interVallo abes. Nam etsi amicissime & conjunctissime vivimus, tamen ea hominis morositas est, ne dicam aliud, ut plane sit mirabilis in multis ejus vita. Quod igitur eo absente ausi sumus claustra reVellere & omnia* ἀφῶν *ut tuum librum tibi mitteremus repertum, mihi crede, Ilium expugnaVimus. An tu nescis qua difficultate, quo annorum spatio Xenophontem suum LeunclaVius ab illo receperit? Deterior tua erat futura conditio, nisi* παρὰ προσδοκίαν *meam audaciam Deus adjuvisset. Tu nunc mimum tuum agas vide: hoc est caveas ne tua opera de hac re quidquam unquam resciscat* N. (Stephanus) *noster cujus ingenium sic est, ut si non refrices memoriam, de ea re verbum nullum sit facturus: sin ulla via quod conscia ejus uxore & filio* N. (Paulo ni fallor) *gestum à me est resciscat, dici nequit quantum turbarum sit excitaturus.* Ille vero καὶ πκζωνίσθω καὶ παλαμάσθω ὅ, τι οὖν ἄχρι μέλλει, τὸ γὰρ μετ' ἐμοῦ. Sic eidem, cui omnia ingenue & familiariter perscribit. Epistola CCLX. Non clam me est, caussas habuisse " te aliquas, cur existimationi τοῦ νῦν μακαρείτου faveres " minus: illum impurum, qui de magna Dei certissima "
 so- "

„ſobole, veritate, triumphos nunc agit, quid impulit in virum de literis optime olim meritum, & „vel parentis *Roberti (Stephani)* nomine praecipuo „honore dignum hac immanitate laceraret. Ingenue „fateor, amiciſſime *Ritterhuſi*, cum illa primum vi„di, vehementer ſum commotus. Atque is ego ſum „tamen, cui uni optimi ſenis (*Henrici Stephani*) „moroſitas plurimum obfuerit. Sed praeponderabant apud me ſemper tot illa & tanta in rem„publicam literariam merita: quibus commemorandis nolo vel patientia tua, vel otio meo ab„uti: & ſunt omnia tibi, ſi cui alii, probe nota. O„mitto privatum hoc affinitatis vinculum, quod ſi „contemnerem, magno me ſcelere vel judice te im„piatum, putaram. ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυκται ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Sufficere haec nobis poſſent, veruntamen dum plura de ejus moroſitate & variis moribus ejus Gener, nos illa non potuimus non ſubjungere, ne nimio ejus amore videamur ejus vitia voluiſſe ſilentio praeterire. Sic itaque *Jacobo Bongarſio* ſcribens pergit: Epiſt. XXI. „Camerarii de partibus corpo„ris humani vidi nunquam. certe quidem non legi. „Nam vidiſſe quidem memini in manibus Stephani „(*Henrici*,) ita tamen, ut cum ille meis quotidie li„bris abuteretur pro ſuis, fas tamen mihi tangere, „nedum pervolvere, non fuerit. Non dubito, quin „ex illo blattas ac tineas miſellus in libraria, quam à „multis annis non inviſit ſuus dominus, paverit. En „hominis! ſed continebo me. ſic Epiſtola XL. *Petro* „*Pithaeo*. At nos, qui hic vel unius veteris ope juvare „queat, eſt nemo. Nam N. (*ſenex Henricus Stepha*„*nus*) quidem noſter etſi vivens valenſque, pridem „numero hominum certe doctorum eximi meruit. ea „eſt illius inhumanitas, & quod invitus dico, delirium.

„Qui

Qui libros quos habet veteres, ut Indici Gryphi au- "
rum, aliis invidet, sibi perire sinit. sed quid ille ha- "
beat aut non, juxta scio cum ignarissimo." Quod licet senio adscribi posset, ut sunt difficiles, queruli, morosi, tenaces, avari, tamen tantam hisce sibi concitavit invidiam, ut vel manes illius quidam violare non fuerint veriti. Quapropter *Davidem Hoeschelium* adhortatur simul ac rogat *Isaacus Casaubonus* ut *(H.) Stephani* partes suscipiat defendendas. Locus utcunque prolixus, hic est: * *Genevam tandem veni,* (inquit) & *quem petis librum, amicissime* Hoescheli, *vix quidem, sed tamen inveni, duo sunt grandia* ἐγγραφῶς *volumina magnam partem manu* τοῦ μακαρίτου Henrici Stephani *scripta. Egi cum* Paulo Stephano *fratre, ut ea curaret ad te perferenda, neque dubito facturum. Videar male de te sentire, si te nunc orem, ut de* Stephano *quam honestissime loquaris. Scio quanti illum tu feceris: & scio quibus moribus tu sis. Sed monet me improbitas quorundam, quibus video propositum esse, de illo viro detrahere, & manes illius violare. Equidem hominis morositatem excusatum non ibo: postrema etiam quaedam illius scripta vellem non scripta. At enim vero quis mortalium suis naevis caret. Quid? nonne* ὁ μακαρίτης ἄλλοισιν ἐσθλοῖς *facile* τὴν δ' ἀπωθεῖται ψῆφον? *Quantus ille vir fuerit in literis, si nesciebam ante, potui adfatim discere ex iis, quae reperta sunt mihi in Bibliotheca* καὶ φιλομαθείας καὶ πολυμαθείας *prope incredibilia monumenta. Nae iste, qui nuper tam multa de optimo sene blateravit, & apud belgas edidit, indignus est qui* Stephano *matulam praeberet. Sed contineo me, & oro te etiam atque etiam.* Quam autem rixosus fuerit, testimonio erit *Laurentius Rhodomannus*, doctissimus & fidis-

* Epist. 181.

fidissimus Diodori Siculi interpres, quem ab eo injuria affectum scribit *Isaacus Casaubonus.* (a) *Fieri illi* (*Rhodomanno* de quo loquutus est) *injuriam à nostro sene, id vero auribus invitissimis intellexi: sed profecto ita est, si quis fuit, qui vetus dictum tolleret,* δὶς παῖδες οἱ γέροντες, *is ille est. Hoc dicere & sentire malo quam quidquam gravius.* Nec tantum cum *Rhodomanno* verum cum eruditissimo *J. Leunclavio* ei contentio intercessit, quod ex sequentibus, Nobilissimi Malincrotii verbis percipimus. (b) Hujus autem (inquit) in praestiti Thesauri à se collecti publicatione opera aemulatione laudabili incitatus filius ejus (*Roberti Stephani*) & in arte successor *Henricus Stephanus*, praeter alia multa & diversa, grandia postmodum tria de lingua Graecanica ejusdem tituli volumina, infinito labore congesta, & magno doctorum plausu excepta in lucem dedit, nisi quod ministri seu adjurae sui *Scapulae* fraude & deceptione minus ex illa editione sua lucri quam gloriae collegit, adeoque sumptibus immensis ob tardiorem exemplarium distractionem non satis celeriter receptis fortunarum jacturam aliquam fecit. Scripsit & praeterea varia ac multa, ex quibus de ingenio & doctrina hominis judicium fieri potest, potissimum tamen circa Graecos auctores occupatus fuit, nec temere habuit aliquem ex coaetaneis sibi in illius linguae exacta cognitione praeferendum: certe suo se calculo omnibus anteposuit, è qua re, & quod ingenio esset paullo rixosiori, multae ipsi cum diversis & molestae progenitae fuere controversiae, interque ceteros cum *Joanne Leunclavio* nostro, aevi sui & patriae nostrae Westphalicae insigni ornamento, Graecis versionibus, praecipue *Xenophontis & Dionis* Tur-

(a) Epist. LXV. (b) Dissert. de Art. Typogr. cap. 14.

Turcicaeque historiae editione omnibus noto, sem- "
perque victuro, de Xenophontica rei equestris ver- "
sione contentionem habuit publicis scriptis testatam. "
Vixit varia fortuna praedictus *Stephanus*, quam "
partim tempori, partim moribus acceptam tulit, "
cumque Parisiis & Genevae aliquamdiu larem te- "
nuisset, tandem per Germaniam diu vagatus est, do- "
nec Lugdunum reversus, cum patriae oblivisci ne- "
sciret, fatis ibidem concederet anno. 1598. Homo "
hic Germanicae nationi parum aequus fuit, cujus "
hypocausticas versiones & nescio quae alia morda- "
cibus dicteriis incessere volupe habuit. "

Quantus tamen ejus fuerit *animi candor* vel in inimicos, eosque etiam quibuscum ei res fuit, indicabit locus qui exstat in praefatione annotationum seu specilegii in Eclogas Xiphilini contractoris Dionis Cassii. Nam (inquit) etsi Guilielmus Xylander quodam me "
ex aemulationis radicibus pullulante odio prose- "
quutus sit, cum tamen absit, ut fraudare velim, prae- "
sertim cum illud odium, literis paullo ante mortem "
ad me scriptis velut ejuraverit. *Fides* vero ejus atque "
taciturnitas quaenam fuerit; sequens exemplum poterit confirmare. Cum enim noster vagus per orbem ubique quasi exsularet, prae eruditione tamen sua pluribus principibus, quos multos in Italia, Anglia, Gallia sua, ac Germania visitavit & convenit, fuit gratissimus, acceptissimusque, adeo ut nonnunquam ab ipsis ad consilia fuerit adhibitus admissusque, quae, ut erat taciturnus, secundum suas parodias, quas in hunc Nasonis versiculum confecit.

Eximia est virtus praestare silentia rebus cum secum, ut lapidi dicta semper haberet, fuit tamen, quamvis innocens, aliquando Regi Galliae suspectus, quasi secreta dicta, ut cum Horatio loquar, foras eliminasset.

 Quod

Quod quemadmodum acciderit, longe nobis elegantius ipsius Musa Monitrix * Principum suavissimo modulatu cantico enarrabit.

Arcana princeps auribus quaedam meis
Mandarat: illa postea detecta sunt.
Accersor, atque garrulus statim vocor:
Aliudque nomen pejus hoc huic additur.
Ego, mihi quamvis optime sim conscius,
Tremore genua sentio labantia;
(Quam tunc Jove esse procul velim atque fulmine)
Supplex & oro, lingua ne mea innocens
Subeat nocentis rebus in magnis, locum.
Regerebat, ille conscius sed tu tamen
Es solus à me factus. Hîc ego, Tua
Pace mihi liceat eloqui, quod suspicor.
Permisit ille: tunc ego, Tu forsitan
Arcana & aliis tradidisti haec auribus.
Ille hoc negabat. Forsan haud sat es memor,
Dicebam. At ille scilicet. Quando tibi
Obliviosus adeo compertus fui?
Tandem vocato teste saepius deo
Dimittor, horrens principis graves minas.
Insomnis illa nocte volvo plurima.
Occurrit animo protinus quidam meo,
Cui suspicabar aperuisse principem
Eadem. Voloque supplices hanc gratiam
Saltem obtinere per preces a principe,
Istud revocare studeat in mentem sibi,
An non & ejus auribus eadem forent
Deposita. Muto sed cito sententiam:
Suspicio nam si vana sit (dico) tua,
Ipsamque princeps detegat, tunc alterum

Ac-

* Pag. 87.

Acquiris hostem. Sed quid hîc tandem deus?
Quem suspicabar, post duos tantum dies
Ultro memoria suggerit eum principi,
Vocatur ille : Garrulae convincitur
Tandemque linguae. Parta sic mihi salus.

Quo exemplo evidentissime videre possumus, quemadmodum semper deus T. O. M. peragat caussas justorum & insontium. Atque haec de ejus indole. Jam vero de matrimonio ejus, quod nobis constat, legitur in epistola dedicatoria Aulo Gellio praefixa ad filium suum *Paulum Stephanum*, quem eo tempore minorem aegentem aetatem, hunc in modum excitat, *Non parvae* (nempe) *felicitatis loco debere poni, eum matre natum esse, quae avorum titulis generosa est, ac cujus animi nobilitas genus exsuperat*, Quam paullo ante *clarissimam foeminam*, profecto ob virtutes animi aeque ac generositatem stemmatis vocavit, cum filio narraret quemadmodum *Eam* exhortatus fuerit, ut circa ipsum (*Paulum*) praecipue matris officia praestaret. Quippe quoniam corpore fuerat, perinfirmo ac tenui, eoque majore cura dignus. Ast plura de *Paulo Stephano* post pauca ex professo. Ex *Isaaci Casauboni* tamen literis dubius reddor, quid de affinitate sim dicturus: * *quae* (inquit) *viros praestantissimos* πάλαι τῆς μεγαλειότητος *Scrimgerum & Stephanum olim inter se conjunxit*, an non fuerit de stirpe *Scrimgeriana*. Extat *Henrici Scrimgeri* Epistola Anno 1558. data, ad *Henricum Stephanum* apud Goldastum Epist. LX. Centur. suae. At quaecumque demum fuerit, adhucdum vixisse tamen eam Genevae Anno M. D. XCIV. Idem *Casaubonus* * auctor est. Filiam habuisse *Henricum* nostrum no-

* Epist. 600. * Epist. 16.

nominatam FLORENTIAM testari potest sui saeculi doctissimus *Isaacus Casaubonus*, qui eam in matrimonium duxit. Quapropter non à scopo aberraturus mihi videor, si de tanti viri varia fortuna quaedam hîc quasi per transennam, inseruero. *(a)* Natus hic, sed non educatus est Genevae a.d. *(b)* XII. Kal. Mart. M. D. LIX. Patre *Arnoldo Casaubono*, *(c)* qui juvenis *Burdigalae* praeceptoribus erat usus *Gelida*, *Goveano*, *Mureto*, summis eorum temporum viris. Hunc *(d)* *Andreas Eudaemon* Graeculus Cretensis Jesuita, omnium *Isaaci Casauboni* hostium truculentissimus & furiosissimus, vitam laqueo finivisse fingere ausus est; quod primo Oxonii *(e)* didicit. Verum haec falsissima sunt figmenta, siquidem patrem ejus Anno 1596. *Diae Vocontiorum* in Delphinatu, ipsis Kalendis Januarii in morbum incidisse, & postquam per mensem aegrotasset, ipsis Kalendis Februarii animam Deo Creatori placide reddidisse, ipse *Isaacus Casaubonus* auctor est Epistola. DCC XLVII. & DCC XLIX. Causam hujus calumniae dixero ejus constantiam ac amorem in religionem: Quippe *Isaacus* dicit *(f)* se puerum tempore lanienae a. 1572. parentem per montes ac silvas aliquamdiu esse comitatum. Tempora in quae incidit *Isaacus Casaubonus* fuere inimicissima *(g)* studiis Graecis scilic. quibus tunc temporis *nullus usquam fere gentium honos? Quid* (inquit) *honorem dico? verius dixerim, locum vix ullum esse, ubi tuto liceat his* ἐνδιατρίβειν καὶ σχολιάζειν. *Itaque* ἐγκαλυψάμενος *in volvo me in meos libros, & quando publice minus possum, mihi certe quotidie conor prodesse.* Publice tamen in Academia Genevensi summo cum honore, maximoque labore & diligentia quotidie literas

(a) Epist. 256. 220. 395.
(b) Epist. 163. 775. 395.
(c) Epist. 702. pag. 889.
(d) Epist. 750.
(e) Epist. 752.
(f) Epist. 71.
(g) Epist. 9. & 18.

ras humaniores docuit, (*a*) quibus ut & *temporis angustiis ita premebatur, ut saepe vix suffurari privatis studiis aliquot horas singulis hebdomadibus posset.* Imo illae angustiae indies accrevere, bello enim intestino vigente, omnes etiam ejus amici in varias ivêre sententias, ac summam in discordiam perducebantur plurimi, maxime ...... ipsi adeo infesti redditi sunt, ut ipsiscum (*b*) luctari debuerit; deinde etiam, quotidie magis ac magis ad paupertatem redigebantur tantam, ut stipendiis solvendis non essent. Nam ni defuissent (*c*) nummi, nervi non tantum belli, verum mercaturae rerumque domesticarum & fere omnium, facile Senatus Genevensis Monspelienses in conditione (*d*) (quam non adeo lautam illi Monspelienses obtulerant, aureorum nempe ducentorum cum aedibus & quibusdam aliis rebus) superassent. Ast (*e*) in angustissimum locum redactae erant Genevensium res publicae? Quod proh dolor, nimium in Epistolis (*f*) suis dolet. Nam conqueritur (*g*) se per quatuordecim annos magnam humanae vitae partem nulla fere mercede in urbe Genevensi steriles Camoenas coluisse, adeo ut familiam sustentare vix potuerit. Nihilominus pro tenuitate, patris (*h*) enim bona maxima ex parte bello direpta fuere; praeque amore, quo in studia ferebatur, Bibliothecam comparabat, qua crescente, ut & familia, minuebatur res familiaris. Quam si non adaugeret, ut saltem tueretur, *Monspelium* anno M. D. XCV. vocatus, domicilium eo transferre in animum induxerat; Sed nescio quibus rationibus permotus, eorum conditiones recusavit.

 Eo-

(*a*) Epist. 18. (*b*) Epist. 43.
(*c*) Epist. 52. (*d*) Epist. 44 52.
(*e*) Epist. 52. (*f*) Epist. 106.
(*g*) Epist. 114. & 167. (*h*) Epist. 214.

Eodem tempore eum *Nemausenses* (*a*) lautis ac luculentis conditionibus ad se, pertrahere omni ope & opera sunt conati, verum frustra. Post biennium (*b*) tamen tractum, in quo saepenumero ad ipsum scripserunt consules *Monspelienses*, & frequentissime legatos suos partim ad ipsum privatum, partim ad senatum Genevensem miserunt; accepit (*c*) tandem *Monspeliensium* conditiones, quo familiam suam traduxit, ubi nec omnia ex voto illius (nam (*d*) non mediocriter animum ejus percellebat religionis diversitas) fluxere. Quippe in antecessum semestre stipendium daturos se promiserant, de quo tamen ne nummus quidem ab illis exprimi potuit. Imo nec domum, quam daturi erant, impetrare (*e*) potuit; nisi veniret in partem pensionis; Quo labascente facultatum, quae adeo amplae non erant statu, cogitare urgebatur *Genevam* denuo vel *Basileam* lares transferre; & vitae quod supererat, ibi degere; *Puto enim* (addit D. *à Fraxinis* scribens) *repertum iri vacuam aliquam professionem, ut inde sit quo mihi & meis consulam.* De quo ne per somnium quidem cogitasset, si *Monspelienses* ipsi perquam, ut vultu saltem ac gestu simulabant, dediti, animum non mutassent. Quippe honestissimis conditionibus (*f*) ac cupidissime vocatus, in principio, quemadmodum omnia nova primitus delectare solent, omnibus fuit pergratissimus. Deinde vero, cum tempore mutatis *Monspeliensium* animis, eosdem, si non plures, illic passus est manes. Quibus vehementer permotus saepius, totum animum emergendi abjecit. Verum tandem iis omnibus extricatum ex angustiis se putabat,

(*a*) Epist. 71. 62. (*b*) Epist. 106.
(*c*) Epist. 103. (*d*) Epist. 111.
(*e*) Epist. 148. (*f*) Epist. 103.

bat, cum christianissimus Galliae Rex *Henricus* IV. Anno 1599. Eum *Lutetiam* ad docendas literas curamque Bibliothecae instructissimae, (bone deus cujus Catalogum si vel semel percurrere liceret) gerendam, evocaret. Quod munus, illectus spe majoris stipendii ac otii, lubentissime suscepit. Certus quanti humaniores literas ille Rex in eruditos liberalissimus ac studiorum amantissimus faceret. Quo è vivis abeunte optimo principe ac fautore, tota ejus concepta spes abscissa est. Omnes enim, contra quos eum amor & Auctoritas Regis hactenus defenderat, hostes, insidias collocare, fortunasque ejus funditus evertere sunt conati aggressique. Quod scelere N. (a) effectum cum videret, saepissime literis Doctissimi Regis Magnae Britanniae *Jacobi* VI. invitatus, Londinum petiit, ubi quoque irritati adversus eum omnes Jesuitae, (b) eorumque fautores, ipsi plurimas insidias struxere; quorum (c) *molitionibus opposuit bonae conscientiae clypeum, & paratum animum respondendi ad omnia, quae digna responsione aut Rex serenissimus, aut alii amici graves judicarent.* Eheu! quaenam ipsi contigit infelicitas? quaenam non calamitas? quodnam non infortunium? Omnibus enim, quoscunque notos habebat, priusquam in Angliam familiam transveheret (d) *ignotus, vere peregrinus ac barbarus*, cum illas oras appulisset, *fuit, nemo illorum verbulo ipsum appellabat, appellatus silebat.* Multis maledictis hîc appetebatur, quae tamen in ipsum non cadebant; multo minus ejus animum mutabant. Quid? vel ipsius uxor *Florentia Stephani omnes* (e) *omnium conatus fortiter contempsit semper, & ex animo est detestata*; qua animi

(a) Epist. 523. (b) Epist. 649.
(c) Epist. 651. (d) Epist. 711.
(e) Epist. 737.

mi virtute atque constantia in rebus adversis, parentis sui exemplum, non modo sequuta est; verum etiam ipso facto expressit, vetusque confirmavit dictum, *fortes creari fortibus & bonis.* Sic alibi maritus ejus eam vocat, (a) *aerumnarum suarum fidelissimam consortem.* Atque has, quas jam diximus, aliasque silentio involutas, fuisse migrationis ejus caussas, liquido percipimus. Plures autem qui desiderat, adire poterit alios etiam scriptores, qui easdem literis quoque demandarunt. Verum, ne ulterius id differam, monendum verbo, non abs re judicavi, quando *Isaacus Casaubonus* Matrimonium cum *Florentia Stephani* inierit. Certum tempus ex litteris ejus hactenus percipere non quivi. Veruntamen mihi persuadeo id factum in fine anni M. D. XC. vel in initio M. D. XCI. Quod quare credam, si quis me roget, Hanc ei reddo conjecturae meae rationem.

Fuit, ut colligo ex ejus litteris an. M. D. XC. noster, *Isaacus Casaubonus* nundinarum tempore Francofurti. Quo dedit literas ad cl. *Canterum*, quibus eum certiorem facit *Eustathium Vignon* & *Henricum Stephanum* edidisse *Dionysium* (Halicarnasseum nempe cum notis *Isaaci Casauboni* quod factum anno 1588. vidi) nullum subjiciens cum *Soceri* tum *Senis* epitheton. Quod tamen ducta uxore semper fecit. Deinde literae in initio anni. 1594. datae, eum maritatum referunt, quia subjungit sororis suae *Dionysiae Stephani* filiae valetudinis periculum. Unde jam saltem constat intra illud tempus factum. At quare potius circa annum M. D. XCI. id peractum credam, me haec verba movere, quibus *Jacobo Bongarsio* matrimonium congratulans, utitur. (b) *Enim vero*, inquit, *jam prope illud tempus est, quo missionem meriti videamur,* *qui*

(a) Epist. 39. (b) Epist. 63.

qui ut cetera taceam, tot jam annos sub matrimonii egimus jugo, quod tu nec dum subiisti. Quod si ante annum unum aut alterum subiisset, non dixisset *tot annos.* Quapropter, ut tribus verbis dicam quod sentiam, putarim *Isaacum Casaubonum* anno 1590. ubi Francofurto *Genevam* esset reversus, animum suum ad nostram *Florentiam Stephani* adjecisse. Quae oriunda & educata in domo erudita, & Musis totique Rei Litterariae consecrata, non mirum, quod ipsa se, ac Parens ejus viro doctissimo in matrimonium dederit. Sed ad *Isaacum* ipsum revertamur.

Aegrotavit hic, ut erat debiliori corpore ac perinfirmo in vita saepius, sic verno tempore anno MDXCVI. cholera *(a)* morbus revera satis vehemens ac periculosus eum invasit. dein * paucis interjectis mensibus decubuit *una cum uxore ac filia Abigaïl, morbus ipsius non sine periculo, uxoris non sine cruciatu, filiolae suavissimae & dilectissimae fatalis & postremus fuit.* Sic *(b)* cum primum Monspelium appulisset, forte ex itineris incommoditatibus, catharri in asperam arteriam delapsi, magnum incommodum attulêre. *(c)* Decubuit quoque *Florentia* morbo periculosissimo Anno M. D. CIV. *(d)* quem propter Madridanum in praetorium ambo sese concesserant. Deinde è Gallia, quo profecta erat accersendi viri sui Bibliothecam, & stipendium nondum persolutum, infectis rebus reversa, languere coepit, ac deinceps gravius aegrotare, quod factum mense Novembri 1613. *(e)* quo morbo liberato, idem iter de novo mense Martio 1614. *(f)* suscepit, cujus anni ipsae Kalendae Julii mensis, *Isaacum Casaubonum*, (de quo semper omnes eruditi per omnes gentes loquentur, & nulla unquam obmutescet vetu-

(a) Epist. 61. 63. * Ep. 88. *(b)* Ep. 114.
(c) Ep. 67. 73. 83. 88. *(d)* Ep. 331. 344.
(e) Ep. 779. *(f)* Ep. 791.

vetuſtas, è vita eripuêre. Quod vide in mortis enarratione à *Raphaële Thorio* compoſita, quae literis ejus eſt ſuffixa. Hujus, ut haec, tamquam medicus verbulo adjungam, veſicae ſtructura adeo monſtroſa atque admiranda fuit, ut doctiſſimus Beverovicius in fine libri ſui de calculo, tanquam praeternaturale aliquid, jure merito eam deſcripſerit.

Peperit, viro ſuo *Florentia* filium natu primum *Joannem*, (*a*) in Galliis apud Clariſſimum J. A. *Thuanum* educatum. Ad hunc (*b*) *Joannem Caſaubonum* variae literae inter Caſauboni parentis ejus literas exſtant. Alterum *Mericum* Lugduni Batavor. (*c*) apud *Danielem Heinſium* enutritum, poſtquam Oxonii aliquamdiu ſtudiis operam dediſſet. Nam rex Angliae (*d*) *Iacobus* noluit permittere, quod tam juvenis tranſmarinas Academias adiret. Hic fuit ille *Mericus Caſaubonus* cujus ſcripta eruditiſſima, unicuique vel leviter literis tincto pernota ſunt; quapropter ea recenſere non neceſſe duximus. Filiam natu maximam *Abigail*, quam mortem ſubiiſſe antea vidimus. *Alteram*, ni fallor Mompelii enixa eſt pridie Kal. April. 1597. (*e*) Sed ejus & aliorum librorum nomina hactenus colligere nondum licuit. Vixit haec *Florentia* adhuc anno M DC XVII. cum gener ejus I. De Gravelle Du Pin I. c. mariti ejus commentarios in Polybium ederet. *Tempus* ſeu *dies* & *annus* mortis mihi nondum ſuccurrit, quae forte in curis ſecundis. Alteram, ut ad *Henricum Stephanum* redeamus, filiam ejus DIONYSIAM nominatam fuiſſe, nos docet idem Caſaubonus, quando *Theodoro Bezae* ſcribens inquit (*f*) *Sorores noſtras, meam quae olim Rigetio nupſerat & uxoris Dio-*

(*a*) Ep. 623. 705. (*b*) Ep. 597. 599. 606.
(*c*) Ep. 799. 780. (*d*) Ep. 794.
(*e*) Ep. 134. (*f*) Ep. 133.

Dionysiam Stephani filiam, tibi cupimus, Pater venerande, esse commendatas. Haec anno MDXCIV. ad mortem usque aegrotavit. Ita enim idem scribit. (*g*) *Dionysia cum ista maxime scriberem, sic aegrotabat ut de ejus salute medici inciperent dubitare*, quam quoque virginem è vita decessisse ex omnibus circumstantiis conjector. De ea tamen parce ubique *Casaubonus*, prout etiam de ipso Parente seu Socero, ad quem ne unica quidem epistola inter ejus epistolas, nec parentis quoque ad generum exstat, quod saepissime me in admirationem rapuisse ingenue fateor; quandoquidem, nihil mihi verisimilius, imo certius, quam frequens inter eos literarum commercium exstitisse, videtur. Sedem fortunarum fixam an vagam dixerim nescio. Nam pro ut tempora ferebant modo hîc modo illic, cum vivebat, tum libros excudebat. Praecipue tamen *Genevae*, quod equidem rarissime, postquam adeo invisum se experiretur, adjecit. Indicant tamen multi, maxime vero ex Calvini libris, *Genevam*. Ubi quidam dicunt eum omnia sua Instrumenmenta ad artem Typographicam spectantia *Choveto* vendidisse. Alii vero ipsum Wechelio, Hanoviae libros excudenti venditasse: quod deducunt ex librorum literarumque forma atque nitore, qui longe major foret, si charta albedinem & tenuitatem Gallicam referret. Ego, ut meam, tribus, ut ajunt verbis opinionem interponam, censuerim *Henricum Stephanum* semper Genevae Typographion habuisse, in quo vel eo absente etiam excuderentur libri, quò, modo siquid haberet excusum, mitteret. Alii, ut sibi persuadent, verisimilius dicunt, per triennium & quod excurrit, Francofordii eum habitasse, dico verisimilius, nam si praefationem ad lectorem, à *Laurentio Rhodoman-*

(*a*) Ep. XLI.

domanno versioni Diodori Siculi praefixam respexeris, videbis *Henrici Stephani* literarum anno 1593. 1594. 1595. ad Rhodomannum datarum exempla ; unde de domicilio haud inficias eo , de typographeio equidem haereo ; nisi malis dicere, illas epistolas fuisse datas, cum esset nundinarum tempore Francofordii ; quod mihi quidem maxime arridet. Sed quid nos multum disceptamus, litem hanc dirimit gener ejus *Casaubonus*, qui *Richardo Thomsoni* scribens ait.
„ Sed quod ad*(*Henricum* Stephanum) attinet, nosti ho-
„ minem : nosti mores nosti quid apud eum possim:
„ hoc est quam nihil possim. Qui videtur in suam per-
„ niciem conjurasse. Nam quod tu putas eum hic esse,
„ falleris: postquam semel abiit ante menses octo aut
„ novem , ex illo semper non quidem per *Elysios* cam-
„ pos, sed per Germaniam ἀλᾶται, πλανᾶται, καὶ ἀλύει.
„ Ita enim plane audio ἀλύειν eum , ut neque domum
„ redire , neque alibi aptas sedes reperire queat. O
„ hominem dignum cujus te misereat. Si enim literas dedicatorias respexeris , modo Lutetiae modo Lugduni, modo Genevae, nonnunquam in villa Grieriana quam urbi Genevensi proximam nullus dubito, eum fuisse comperies ; quam villam terrae motu conquassatam ac dirutam , cum fortean adhuc puer (quod deduco ex hisce verbis, *tuae tamen hoc aetati nunc condono*) filius *Paulus* certiorem eum fecisset, respondit eam , dum apud *Helvetios* peregrinaretur, etiam à militibus fuisse direptam , illudque parum curasse. Ac simul ipsum *Paulum* sui exemplo monet, parum hoc curandum ? ait aliud quid longe hoc praestantius esse investigandum , studium nimirum , doctrinam, eruditionem , qua avus ejus , ROBERTUS STEPHANUS floruisset , quem ei tanquam imaginem non solum ad in-

* Epist. 12.

intuendum verum etiam ad imitandum proposuit, tum se ipsum, à quo tamquam à praeceptore omnia peti possent, quae ad praeclaram institutionem aliquid posse conferre dicerentur. *Atque adeo (pergit) quid non à te (Paule) etiam ipso jam exspectari putas? scit enim tota propemodum Europa quam tibi viam non solum pater, sed ipse quoque avus* Robertus Stephanus *monstrarit Quam uterque viam tibi praecalcarit. Quantum undique benevolentiae quantum laudis & gloriae tibi comparabis, si vestigiis illorum insistas, tantum malevolentiae vel potius odii, tantum ignominiae tibi conflabis, si eorum vestigia relinquas, si, non dico ab iis te avertas, sed vel divertas. Ac eo certe magis, reprehensionem mereberis quod firmo sis habitu corporis ac propemodum athletico, & qui tibi firmam & in posterum valetudinem (modo eam intemperantia non corrumpas) spondet. Me certe, cum mediocri tantum corporis firmitate essem, variis tamen longorum itinerum laboribus, iisque quas literarum studia poscunt, vigiliis, nec non curis atque oneribus typographicis dum paternam in paterna diligentia gloriam æmulor) suffecisse vides: te ergo ἵτ⊙ σωματικὸς, quinam labores Typographici tenere ita possunt. ut ab in capto deterrearis.* Quemadmodum si omnes parentes filios seu liberos suos admonerent educarentque, non jaceret depressa ac despecta, illa nobilissima ac Deo quasi æqualis sapientia. « At utinam liberorum nostrorum mores « non ipsi perderemus. Infantiam statim delitiis solvi- « mus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam voca- « mus, nervos omnes & mentis, & corporis frangit. « Quid non adultus concupiscet qui in purpuris repit? « nondum prima verba exprimit & jam coccum intelli- « git, jam conchylium poscit. Ante palatum eorum « quam os instituimus. Quibus non Quintilianus nostra «

H tem-

tempora descripsisset, non Seneca, non alii. Verum hisce missis ad senem nostrum *Henricum Stephanum* revertamur, cujus mortem & exequias antequam describamus, praemittendum censuimus eum fuisse reformatae religionis, quod patet, quia parens ejus ob religionis differentiam, *Genevam* domicilium ac sedem fortunarum transposuit. Tum ex apologia pro Herodoto, Gallico sermone conscripta. Accedunt ejus epigrammata, necessitudo & familiaritas cum Beza & Calvino, quae illi intercessit. Quid? *Florentiam* ejus filiam in ecclesia Genevensi apud *Theodorum Bezam* educatam fuisse, inter alia de uxore sua refert Isaacus Casaubonus *Testor* (a) (inquit) *deum licet mihi adhuc omnia hic ultra spem grata, tamen quod τ̃ σῆς ὁμιλίας fructu careo, quod te non intueor, quod canos tuos praesens venerari non possum, vivendi omnes causas mihi periisse puto: idem uxoris sensus; quam confirmo tibi in his locis vitam instituere ut facile omnes Genevae natam, & in ecclesia Genevensi educatam agnoscant, nam hic quidem aliter vivitur.* Quae omnia nostram sententiam firmam atque ratam faciunt, reddantque. Paucis ante obitum mensibus generum suum *Henricus Stephanus* Monspelii, (b), visitavit, quo tempore operam suam ei ultro pollicitus est, quam circa editionem notarum in Athenæum posset præstare. Hinc verosimiliter concludere licet, ipsum Lugduni (quo Casaubonus vel *Lutetiam*(c) vel *Basileam* ad Auberium vellet notas mittere, siquidem typographum Monspelii non haberent, quo possent uti) habitasse: Huc enim post longa per *Germaniam* itinera reversus, vitam suam, circa finem praesertim miserrimam in nosocomio publico cum morte commutasse auctor est

clar.

(a) Epist. 111. (b) Epist. 155.
(c) Epist. 146. 152. 153. 154.

clar. *Cornelius Tollius* in appendice sua ad Pierium Valerianum de Literatorum infelicitate, quod tamen ille solus. Scaevola enim Sammarthanus aliique haec omnia silentio vel involvunt, vel quod verisimilius, res sese ita non habuit, licet, non negem ipsum ibi in summa egestate, id, quod de vita supererat, transegisse. Nam post mortem haeredium licet non fuerit usque adeo magnum, aut splendidum, tamen tantum ipsi superfuisse docet, ut vitam exinde sustentare potuerit; Verum quod, qualeque fuerit, mox videbimus. *Dies* nec *mensis* constat, quando, ipsi quod ex lege naturae humanae perficiendum restabat, perfecerit. *Bucholcerus* tamen in Indice Chronologico dicit circa *Februarium* vel *Martium*. Quod deprompsit ex *Casaubon.* Epist. 164. ultimae edit. *Annus* autem, supra *millesimum quingentesimum octavus & nonagesimus* labebatur, in cujus initio quantum ex *Casauboni* literis video, diem obiit supremum. Nam literae a. d. III. Eid. Mart. MDXCVIII. Monspel. datae, ejus mortem referunt. Quae nec *locum*, nec *diem*, nec *mensem*, nec *aetatem*, nec *modum* addunt, quod quare omissum nescio. Quapropter mihi diu haesit aqua, an non *Genevae* fuerit. *Quippe* quoniam Haeschelio scribens, inquit, * *si Genevae essem eum tibi mittendum curarem.* Utputa M.S. Photium, quem penes *Stephanum* tunc *παραγείτην* viderat saepius. Verum enim vero, in aliam fere traduxerat opinionem amicus quidam mihi familiarissimus, vir, revera fide dignissimus. Ille enim narrabat se vidisse Lutetiae Parisiorum, in coemiterio sacelli sancti, ni fallor, Benedicti, lapidem muro infixum, referentem quadam inscriptione seu Epitaphio *Stephani* ossa, ibi molliter quie-
 scere;

* Epist. 164.

ſcere; Hic ſubjungebat, ſe in ea opinione eſſe, ut *Henrici Stephani* foret. Ego contra abnui, verum de *Henrico Stephano* I. vel de *Carolo Stephano*, vel de *Franciſco Stephano*, vel de *Roberto Stephano* II. vel de *Roberto Stephano* III. *ſeu R. F, R. N.* eſſe interpretandum adjunxi, licet aeque incertus. Id, ſi libuerit cuipiam ex pariſinis, reſpicere vel deſcribere, & transmittere atque adeo mihi, veritatem detegere; is profecto ſummam apud me initurus erit gratiam, vel maximam, quam pro virili etiam conabor rependere. Haereditatem tamen Genevae, ſi non ſepulchrum, fuiſſe haec *Caſauboni* verba referunt: * *Si Genevae eſſem, eum mittendum tibi curarem & faciam fortaſſe, nam illuc mihi neceſſario eundum erit, propter uxoris dotem.* de ea tamen, paullo prolixius Epiſtola CLXXIV. *Nam*, inquit, ne omnia deſcribam *haereditas Soceri viri de literis quam optime olim meriti, non erat fortaſſe tanti, cujus gratia uxorem relinquerem, dum uxoria bona proſequor.* Hiſce tamen ex verbis deducere poſſe mihi viſus ſum *Lugduni* eſſe peracta, quandoquidem de itinere Lugdunenſi ſuſcipiendo loquitur: *ut viſerem*, inquit, *Dominum Vicquium, non autem hæreditas tanta erat*, prout diximus. Sed duos una fidelia dealbare parietes voluit. Verum litem hanc dirimit *Paulus Stephanus* in ſuo Epitaphio, canens parentis ſui *Henrici Stephani* oſſa in Lugdunaeo ſepulchro quieſcere. Haec haeredii tenuitas, ſola cauſa fuit, ob quam *Iſaacus Caſaubonus* nomine unius M. S. Photii, (qui à *Davide Hoeſchelio*, ann. MDC. Auguſtae vindelicorum editus eſt) jure ſuo ceſſit. Quin imo, haec bonorum inopia in cauſſa fuit, quare *Henri-*

* Epiſt. 164.

cus ille intestatus obierit ; quadrans omnium τῶν ἐκ μεγίστης ποτὲ περιουσίας ἔτι ὑπολιπόντων *ad uxorem* (sunt haec verba I. Casauboni) *pertinuit. Ego (a)* (pergit idem) *veneratione domus Stephanicae motus, renitentibus omni ope atq; opera cohaeredibus effeci, ut omnes manu exaratos codices Paulus Steph. praeciperet. Gaudebam in ea domo, quae literis aliquando tantum profuisset, remanere instrumenta bene merendi de iis, qui publicam reipublicae literariae utilitatem procurarent.* Ceterum *Stephan.* Biblioth. (*b*) quamvis paucae fuerint reliquiae, non erant tamen contemnendae. Has etiam longo post Soceri obitum tempore *I. Casaubonus* nondum viderat. Sic enim scribit *Josepho Scaligero : (c) Volo tamen scias, nondum mihi visam* τοῦ μακαρείτου Stephani *Bibliothecam , non dico ab ejus obitu : sed omnino invisam esse eam nobis. Tanta fuit in optimo sene* ἀναρμοστία τῶν τρόπων. Sic quoque Epistola CLXXXI. *Genevam necessario excucurri : multa me illuc vocabant , sed nihil aeque ac spes videndi Bibliothecae reliquias : etsi pars magna illius periit non uno modo , reperi tamen in iis quae supersunt multa eximia* καὶ τῶν ἐκ ἀποθέτων. Item *duo grandia* ἱκανῶς *volumina magnam partem manu* τοῦ μακαρείτου H. Stephani *scripta.* De elogiis exituque ejus nusquam quidquam notatum repperi, nisi eum fere septuagenarium , vivere desiisse. Quae vero ipse in alios confecit , eorum quaedam huic Epistolae inseruimus. *Pauli* tamen *Stephani* filii ejus Carmen seu elogium *Concordantiis Novi Testamenti*, ab eodem an. M D C editis praefixum, Te saepius non solum vidisse, verum etiam legisse nullus dubito. Illud se ante

(*a*) Epist. 190. (*b*) Epist. 192.
(*c*) Epist. 176. (*d*) Ep. 328.

te biennium dulcissimo Parenti suo moestum posuisse ait in Epistola *Joanni Castolio* suo harum Concordantiarum dedicatoria. Carmen autem cum Epigraphe sequenti sese habet modo:

Parenti dulcissimo ac piae memoriae

HENRICO STEPHANO.

Paulus Stephanus Moestus posuit.

Tristes exequiae, tristes mihi funeris horae
Accipite has lachrymas & vos narrate Parenti
Post illum defunctae animae, mea pectora quantus
Moeror agat, quanto turbentur pectora fluctu:
Quantus ad ætherios gemitus pervenerit axes.
Ex oculis ergo, ergo Parens discedere nostris
Te potuisse putem? dulcis Pater, optime Patrum,
Extinctum te crediderim lucemque perosum?
Et Lugdunaeo requiescunt ossa sepulchro?
At vivit meus ille meus, me cernit & audit.
Jam mihi responde genitor dulcissime, nam te
Per cineres oro, per amatae pignora matris,
Fallor, an exspectem vocis responsa serenae?
Eheu chare Pater, verus mihi nuntius ergo
Iverit, & tenues nunc tantum amplectimur umbras.
Accipite haec, vos ô quae vertitis omnia Parcæ,
Parcae lugubres, quae me privastis alumno,
Nulli parcentes Parcæ, Genitoris adempti
En querimur casum: sed quem lugemus ademptum
Reddite, Quae vobis tanta est jactura relicto?
Quas si non moveo, surdas si tangimus aures

Aethe-

Aetheria meus ille meus nec vescitur aura,
Sed dulces natos & conjugialia vincla
Deseruit, vocesque pias non amplius audit:
Quâ potes exaudi Genitor dulcissime, & hauri
Has oculis lachrymas, Saltem nunc alloquor umbras
Si mihi nil aliud superest, Tua dulcis imago
Vivit, & ante oculos, semper manet aurea nostros.
Quâ licet amplecti, manes amplector amati,
Osculor & chari pectusque oculosque parentis.
Plangite amicorum turba officiosa, meoque
Condoluisse malo veniant solatia moesto.
Vos sacri vates inspergite vestra sepulchro
Munera, quae possunt cineres placare sepulti.
Illum non oculis morientem Graecia siccis
Cernere sustinuit, sensitque ex funere vulnus:
Vos quoque Pierides Latio ingemuistis amatae.
In laudes chari sed non licet ire parentis.
Exhaustae noctes, seriesque immensa laborum,
Dignus honos tumuli, domino pro absente loquuntur,
Et sunt magna satis gelido monumenta sepulchro.

PAULUS STEPHANUS

Magni *Henrici Stephani* filius, omnium, quos ille è vivis abiens aliquo numero reliquerat, liberorum fuit celeberrimus. De ceteris enim nihil conſtat. De *Florentia* vero ac *Dionyſia* egimus. Super eſt itaque jam, ut quae habemus de *Paulo Stephano* dicamus. Matrem ejus clariſſimam ac nobili de ſtemmate oriundam antea diximus, veluti etiam de curâ & officiis ejus in educatione *Pauli* patris inductu atque adhortatione adhibitis. Prima ſtudiorum fundamenta hic *Paulus Stephanus* Genevae, ubi tunc temporis doctiſſimi degebant viri, poſuiſſe quis dubitaverit. Quibus abſolutis, juvenis admodum exiſtens, parentis ſui, viri celeberrimi laboribus, vigiliis, itineribus ſuo tempore addictiſſimi, veſtigia premens, orbis terrarum partem nobiliorem pervolitavit, inviſens ubique locorum viros doctiſſimos atque clariſſimos. Sic *Lipſius* epiſtola XXXIII. miſcellanearum centuriae ſecundae idibus ſextilis MDLXXXVII. Lugdun. Batavorum data, noſtrum *Paulum Stephanum* ipſum inviſiſſe auctor eſt. *Fuit apud nos*, inquit, *nuper* Paulus Stephanus Henrici *filius mitis animi adoleſcens: quod velim patri nuncies, & à me ſalutes. Imprimis Caſaubonum ejuſdem, ut audio, generum, cujus ingenio & creſcenti famae valde faveo. Placent nimis ſcripta ejus, quae vidi.* Hujus praeſidio forte ſtudiis per aliquot menſes operam dedit; conferens ſeſe deinde domum Typographei patris ſui curas ſuſtenturus; quod quoque praeſtitiſſe plurimi ab eo excuſi libri affatim teſtantur. Interdum tamen permittentibus, id vel exigentibus rebus, ac negotiis domeſticis, huc illuc iter direxit. *Heidelbergae* nam-

que

que cum Commelino anno MDXCV, postea *Lugduni* cum Tornaesio jussu parentis sui, deinde anno MDXCVI *Francofurti* cum *Dionysio Gothofredo* fuisse auctor est Casaubonus; qui Genevâ discedens Athenaeum suum cum M.S.S. collatum, & locis infinitis emendatum reliquit paene ad umbilicum perductum, quem curae fratris sui *Pauli Stephani* committit, quo etiam eum eruditum fuisse testatur affinis ejus *Isaacus Casaubonus*. Ipse vero praefatione Sophoclis, cujus tragoedias ab eo 1603 impressas, senatui *Francofordiensi* inscripsit; in qua vehementer laudat urbem cum à situ tum aliis commoditatibus. Ad manus sunt praeterea testificantes *versiones ejus epigrammatum Graecorum Anthologiae Latinis versibus*. Item *ejus juvenilia* in octavo MDXCIII. Genevae apud eundem excusa. Patefacit quoque & prodit eruditionem suam carmine in dulcissimi sui parentis obitum confecto, quemadmodum & epistolis dedicatoriis, quarum in illa ad virum clarissimum Justum Ruberum parentis sui amicum familiarissimum veteribus panegyricis praefixa, refert, se anno M D XCIX in eodem hospitio Argentinae, id est Argentorati, cum eo divertisse, ubi suavi alloquio ejus frui, & benignitatis plenos generoso in pectore vultus intueri ei licuerit. *Londini* nostrum *Paulum Stephanum* aliquando fuisse, affinem suum *Isaacum Casaubonum* invisendi gratia nullum dubium est. Illo tempore plurimos doctissimos viros fratri amicissimos, suos etiam reddidit, quos salutari vult à *Joanne Castolio*, cui concordantias à parente suo *H. Stephano* adauctas, inscribit. Forte tunc temporis dedit suum symbolum *Ioanni Norton*. qui fuit Serenissimae Regiae Majestatis Angliae in Latinis, Graecis, & Hebraicis Typographus. Hunc enim video Symbolum *Ste-*

phanorum praefixiſſe libro cui titilus eſt *effigiatio veri Sabbathiſmi*, *Authore Roberto Loeo*, *Oxonienſis eccleſiae Theſaurario.* apud eum *Londini* an. 1605. in 4. cxcuſo.

Hujus autem mox memorati *Pauli Stephani* fratrem fuiſſe ſemper putavi ANTONIUM STEPHANUM *Regium Typographum*, commentaria *Iſaaci Caſauboni* in librum primum hiſtoriarum Polybii anno 1617. typis qui excudit. Quemque indicare, I. Caſaubonum mihi perſuadeo quando inquit *: affirmavit Stephanus uxoris meae cognatus vir eruditiſſimus*, niſi malis *Robertum Stephanum* III. qui ſcribit R. F. R. N. Verum Homiliae divi Patris *Ioannis Chryſoſtomi* Graece Latine forma magna editae Pariſiis, hunc Gordium nodum mihi ſolverunt. In fronte enim libri legitur *Lutetiae Pariſiorum Typis Regiis apud* ANTONIUM STEPHANUM *Pauli F. Henrici N. Typographum Regium* MDCXIV. Hic idem quoque Plutarchum ex emendatione & interpretatione Xylandri, duobus voluminibus, Pariſiis Typis Regiis anno MDCXXIV editum *Societatis Graecarum editionum*, *& ſuo nomine* Galliarum Regi, Ludovico XIII. inſcripſit. Hunc nullus affirmare auſim eundem eſſe illi *Antonio Stephano* cujus hi proſtant libri. *Ant. Eſtienne devot diſcours ſur la paſſion de noſtre ſegneur Ieſus Chriſt. à Paris. Thom Brum.* MDLXXXII. in 16. Ejuſdem *Le dialogue de conſolation entre l'ame & raiſon* à Paris. Mich. de Rogny MDLXXXII. in 16. Aſt potius crediderim hunc, quem ultimo dixi Antonium *Henrici Stephani*, vel *Roberti* II. filium fuiſſe; quamquam hactenus id probare nequeam, nec adſtruere niſi ſola ex temporis conjectatione. Aſt *Antonius* ille *Stephanus* Pauli filius, cujus primo loco mentionem feci, mortuus eſt Pariſiis in noſocomio, ad paupertatem redactus, relinquens, cum ultimum diem clauderet, filiam, quae

hoc

hoc tempore Parisiis manibus victum & amictum sibi quaeritat; ut mihi a D. Bourdot Bibliopola Parisiensi relatum est; qui subjungebat se saepius cum illa coenasse. Ad hunc plures dedi literas quibus ipsum perquam obnixe rogabam, ut vellet meo nomine, ex illa honestissima virgine quaerere, quae ipsi nota essent de stemmate Stephaneo. Verum hactenus nihil ab eo recepi responsi, quod vehementer doleo, siquidem animus erat omnia hoc tempore, quae investigari possent, Tibi Virorum perscribere Amplissime. Vellem hoc aliquem praestare, quod an exspectare audeam nescio. Sed ad rem. Sunt quoque Psalmi quidam & cantus selectiores Lutherani ut conjicio, à *Clemente* quodam *Stephano* Noribergae in 4. anno. MDLXVII. Germanico sermone editi. Verum hunc de nostrorum genere minime affirmaverim, quamquam quibusdam ita videri posset; siquidem propter religionis discrimen, & bella intestina liberi tam *Roberti Stephani* primi, quam *Henrici Stephani* II. vel *Francisci* I, quos majore numero habuisse, quod multi eruditi uno ore testantur, huc illuc fuerint dispersi, quorum nomina ignorantur. Quod quare minus fieri potuerit, cum non videam, equidem illam sententiam non habeo. Imo hunc *Clementem* aliosque non agnoscam *Stephanos*, quin clarissime mihi illud demonstretur. Quod si aliquis poterit, vehementer eum rogo ut ea literis me certiorem faciat, tum si quorundam Stephanorum icones habeat, adjiciat, ut data occasione inseri queant. Foret enim id à me hoc tempore praestitum, si effigies eorum ad manum essent, ast non nisi *Roberti* I. ad manus nostras pervenit; quam tamen adjiciendam putavi. Sed incidit, *Isaacum Casaubonum* Diatriben suam in orationes *Dionis Chrysostomi*, inscripsisse, cuidam *Henrico Stephano arcae operum*
domi-

dominorum Quaestori, quam de gente Stephanea ut *Casauboni* verbo utar, fuisse ex praefatione deduci satis clare potest. Verum quia perfunctorie illum librum legere semel contigit, & nihil ulterius de eo legerim, non habeo quod de eo certi dicere queam, uti nec de aliis. Ceterum tamen unicuique suum liberum relinquo judicium, & maxime, Tibi Praeclarissime Graevi & omnibus φιλοστεφάνοις, quorum in cautelam haec subjungere mei officii duxi, quod, ut & alia haec aequi bonique consulas vehementer atque obnixe Te rogo. Haec enim sunt quae de nobili illo stemmate Stephaneo cognita habebam, hac vice Tecum communicanda, quae, fateor pluribus persequuta oportuerat. Sed ut illa hic repetam, * *Quaenam tanta potest exsistere ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit* illorum in rem litterariam *universa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando.* Accedit quod materia, quia adeo invisi fuere, minus fuerit benigna, unde veniam exopto mihi paratiorem simul & promitto. De quo stemmate, quod nulli vere ac natalibus nobili cedere necesse habet, *Si quid novisti rectius hisce, Candidus imperti, si non his utere mecum.* Caeterum tamen nunquam intermittam, hisce adjungere ea quaecunque vel hoc opusculum exornare, augere vel emendare poterunt. Tu vero, Vir Humanissime; & praecipuum literarum praesidium ac fulcimentum, interim huic meo fave qualicunque labori, quem in exquirenda & adornanda stirpe vere τῶν τυπογράφων στεφανῶν Typographorum Stephanorum posuerim. Quorum ut & aliorum nomen munusque hoc tempore adeo vile & abjectum habeatur. Cum tamen plu-

* *Cicero Post Red. in Senat.*

plurimi viri praestantissimi proximo saeculo, id subierint. Illorum, qui emendatiores & nitidiores editiones procurarint, praecipuos recensebo, ut habeant illi, qui turpi negligentia, librorum notitiam parvi faciunt, quo admoneantur; ne, quod saepe fieri videmus, se in hisce prostituant, ac risui exponant, cum libros ineptissimos, ac in media Barbarie impressos tamquam gemmulas venerentur. En istâ ergo typorum arte apud literatos quos inclaruisse videmus,

Aldum Manutium. Venet. denat. 1516.
Paulum Manutium. ibid. Nat. 1. Jul. 1512. denat. 6. April. 1574.
Aldum Manutium, Pauli fil. ibid. Nat. 13. Feb. 1545. denat. 1597.
Henricum Stephanum I. Paris.
Robertum Stephanum I. Typogr. Reg. *Paris.* den. 7. eid. Sept. 1559.
Carolum Stephanum. Typogr. Reg. *Paris.*
Franciscum Stephanum. Paris.
Henricum Stephanum II. *Genev.* den. 1590.
Robertum Stephanum II. Typogr. Reg. *Paris.*
Paulum Stephanum. Genev.
Franciscum Stephanum. ibid.
Robertum Stephanum. R. F. R. N. *Paris.*
Antonium Stephanum. Typogr. Reg. *ibid.*
Adrianum Turnebum. Prof. & Typogr. Regi. *ibid.*
Mamertum Patissonium. *ibid.*
Guilielmum Morellum. Reg. Typogr. & Gr. Linguae Prof. Reg. *ibid.*
Fredericum Morellum. Reg. Typogr. *ibid.*
Claudium Morellum. *ibid.*
Sebastianum Gryphium. Lugd.
Antonium Gryphium. ibid.

Jodo-


Jodocum Badium Ascensium. Prof. *Paris.*
Simonem Colinaeum. ibid.
Joannem Oporinum. Basil. Graec. Ling. Prof. Nat. 25. Januar. 1507. denat. 1568. 6. Jul.
Joannem Frobenium. Basil.
Michaëlem Vascosanum. Paris.
Hieronymum Commelinum Santandreanum. den. *Heidelb.* 1597. 27. Novemb.
Rutgerum Reschium. Lovanii Gr. Ling. Prof.
Christianum Wechelium, Paris.
Andream Wechelium. ibid.
Joannem Amorbachium. Basil.
Arnoldum Mylium. Colon. *Senator.*
Stephanum Doletum. Lugd. combust. 3. August. 1545.
Danielem Bombergum. Venet.
Godefridum Hittorpium. Colon. *Consul.*
Garwinum Calenium. Colon. *Senat.*
Hubertum Goltzium. Brug.
Christophorum Plantinum. Antv. ob. 1. Jul. 1598.
Franciscum Raphelengium. Lugdun. Batav. Hebr. ac Arab. lit. Prof. Nat. 27. Febr. 1539. denat. 1597. mens. Jul.
Joannem Moretum. Plantini Generum. *Antv.* denat. 22. Sept. 1610.
Balthasarum Moretum. Antv. denat. 8. Jul. 1641.

Plures qui cognoscere desiderat ei adeundi erunt *Malincrotius* & *Boxhornius*, aliique de artis Typographicae inventione, inventoribus, & propagatoribus qui scripserint. Interim Vale, & eo, quo cœpisti favore me prosequi, ut pergas Vrorum Clarissime ac Doctissime, à me, Tuo ex asse nunc & olim, qua decet observantia, decet autem maxima, rogaris. Vale.

Dabam è Musaeo Amstelaedami, ipsis Kal. Februar. Anno M DC LXXXIII.

STEM-

STEMMA STEPHANEUM.



Doctiſ-

Doctissimo atque amicissimo Viro,

THEODORO AB ALMELOVEEN,

S. P. D.

ANTONIUS BORREMANSIUS.

BEasti me nuncio de tuis *Stephanis*, qui cum sint per se satis clari, per tuas lucubrationes evadent multo clariores. Precor illis facilem Lucinam, ac praesentem Genium, ut tanto alacrius in altero opere pergas, quo erudito orbi ostendes vetera saepe de novo paxillo suspendi, & multos tamquam à se inventa laudare; quae antiquis nota fuisse viri literati haud ignorant. Commodiorem quidem scriptionem, qua famae veluti vadum tentes, eligere non potuisti. Artem typographicam, nobilissimum nostrae Bataviae inventum, longe praeferre soleo reliquis artibus mechanicis: inter eos autem qui illam exercuerunt, *Stephani* ita eminent, ut qui cum illis comparari possit, non facile quemquam invenias. Non fuerunt illi viri, ut vulgus typographorum solet, literarum rudes; sed ad tantum eruditionis culmen evecti, ut vel principem locum tueri facile possint, in primus *Henricus*, de quo, ut nosti, elegantissime *Johannes Posthius*.

Et libros facere, et doctos excudere libros,
Longus uterque labor, durus uterque labor.
Huic gemino invigilat pariter tua cura labori.
Henrice, ô mira sedulitate virum.

Recte

Recte autem à Te factum eſt, *Almeloveeni* eruditiſſime, quod celebrium Stephanorum vitas conſcribere animum induxeris. Tu inter avos, proavoſque, & quos affinitatis vinculo contingis, multos typographos numeras, ac tales quidem, qui copia & praeſtantia librorum, typis ſuis excuſorum, ceteros longo poſt ſe intervallo relinquunt. *Hondios*, *Commelinos*, *Janſſonios*, *Waesbergios* qui ignorat nae is libros, ipſamque adeo eruditionem ignorat. Avus autem tuus *Johannes Janſſonius* labore & conſtantiâ (quo ſymbolo *Chriſtophorus Plantinus*, typographus fideliſſimus, ut eum magnus *Scaliger* appellat, uti conſueverat) in libris imprimendis reipublicae litterariae tantum profuit, ut nomen ipſius apud φιλοβίβλοις in pretio haberi, ſemperque celebrari debeat. Dignum eum sereniſſimus ac potentiſſimus Suecorum Rex exiſtimavit, quem ſuum eſſe typographum juberet. Ex illis viris cum Tu cenſearis, nemini æque ac tibi convenit Stephanorum vitas literis memoriaeque conſignare, ut omnes cognoſcant, qui ac quales fuerint. Crede mihi, bene mereberis de orbe literato, cui illae vitae non gratae eſſe non poſſunt. Ipſe avide eas exſpecto, teque majorem in modum rogo, ut, ſi nondum tradideris, quam primum tradas typographo, & praelo ſubjicias. Non deerunt, qui applaudent, ac ſcriptori ſe debere profitebuntur. Vale. Hornae Weſt-Friſiorum, A. D. VIII. Kalend. Mart. CIƆ IƆC LXXXIII.

EPIGRAMMA,
IN EPISTOLICAM
DE
STEPHANIS DISSERTATIONEM,
Doctissimi D.
THEOD. AB ALMELOVEEN,
Med. Doct.

QUI Patre prognatus multum doctoque pioque:
Talis enim in vivis ALMELOVENUS *erat.*
Quique nepos in matre refert & Avos Atavosque
JANSSONIOS, *celebres arte* Typographicâ.
Quique ipse ingenuas didicit non segniter artes,
In doctis dignus nomen habere viris.
Anne has in STEPHANIS *qui laudes diceret ambas*
Aptior, aut quisquam dignior alter erat.

GISB. COCQ.
Phil. Doct. & V.D.M.

In

In Doctissimi & Florentissimi

VIRI

THEOD. JANSS. AB ALMELOVEEN

Doctoris Medici multae & felicissimae experientiae: Amici optimi & integerrimi elegantissimam

GENEALOGIAM STEPHANAEAM.

CAndidissime, quot fuere, quot sunt,
Aut posthac quot erunt mihi, Sodalis;
Musarum & Charitum beate alumne,
Ut alter Pylades Oresti amande;
Cum Pallas lepidum tuum libellum,
Pressum, perspicuum, venustulasque
Spirantem veneresque Gratiasque,
Docta pumice saepius politum,
Crudelique coërcitum litura;
Quem ternae Charites novemque Musæ
Amant non minus, ac suos ocellos;
Illum nam gremio suada fovit:
Isthunc viderat ut Minerva librum,
Quo pius STEPHANOS reducis orco,
Typorum proceres venustiorum,
Qui Musas Latias Achaicasque
Per typos nitidos resuscitarunt:
Queis nunc pro meritis tot atque tantis
Vitam vivere mortuis dedisti.
Tum mirans lepidum Minerva librum,
Ut Trojae veteres revolvit iras,

Phaebo sic Medico * locuta fertur:
O factum bene candidum libellum!
I, nunc Poeonas Aesculapiosque,
Chirones Podaliriosque jacta
O Apollo tuos! meus sed Iste,
Meae deliciae, meique amores,
Hygeiae rigidus bonae satelles
Nec non Pergamei senisque Coi,
Praestat omnibus Aesculapiisque
Chironi, Podalirio, tuisque.
Hos dicunt lepidi Tui Poetae
Multa fingere queis dedisti, ad alma
Solis lumina reddidisse, mortis
Tristi à limite mortuum calentem,
Ignotum populo vel hunc, vel illum
Quem post tempora non diurna vitae,
Nulli flebilibus roganda votis,
Mors atrox tenebras coegit atras
Pallentesque Erebi redire ad umbras,
Et regni Deus arbiter silentis.
Ast Hic, cui dederam expolire mentem,
Quin & lethiferos fugare morbos,
Arte Poeonis eminentiori;
Hic pius STEPHANOS, meos amores,
Phoenices reparavit è favilla,
Illustresque animas reduxit orco:
Queis vivunt monumenta literarum
Post tot Barbariae graves ruinas,
Et Parisiacae venêre Musae.
Servandae incolumes perenne in aevum.
Hos post secula jam diu sepultos
Ad vitae placidas vocavit auras:
Et dignas voluit referre grates,

Vin-

* *Vide Macrob, Saturn.*

Vincens Orphea, qui profundo ab Orco,
Heu frustra Euridicen canens misellam
Ad coeli superas vocabat auras.
Nam vivacia fata tendit ultra
Longa secula Nestoris diserti,
Ultra secula pulveris Sibylla,
Et vitam STEPHANIS dat aeviternam,
Et junxit superis tulitque ad astra.
Sic de cunctivoro triumphat orco
Chirones super Aesculapiosque!
Ergo Palladiae venite olivae;
Frontem, quae STEPHANOS virorum ocellos
Viros Palladios rapacis orci
Ereptos tenebris pie merentes
Vitae restituit bonae Deorum,
Frontem hanc cingite sempiternae olivae!

Amicissimo amico P.

HENR. CHR. HENNINIUS D^r.

T

Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὴν τοῦ πολυμαθεστάτου καὶ φιλτάτου

ΑΛΜΕΛΟΦΗΝΙΟΥ

ΤΩΝ

ΣΤΕΦΑΝΩΝ

γενεαλογίαν

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ζῆν ΣΤΕΦΑΝΟΙΣ θνητοῖς ὁρᾶν καὶ φάος Ἠελίοιο
Τίς σ' Ἀσκληπιάδην, ὦ Θεόδωρε, ἀπεφῆ;
Ἄνθεα νῦν ΣΤΕΦΑΝΟΙ ἀναθήματα πλῆξαν. ἰητρῷ
Ταῦτα στέφη ΣΤΕΦΑΝΟΙ ΑΛΜΕΛΟΦΗΝΙΑΔΙ.

Αὐτοσχεδιαστὶ ἰητρῷ ἰητρός

ΕΡΡ. ΧΡ. ὁ ἘΝΝΙΝΙΟΣ.

AD EUNDEM.

EDimus indocti passim doctique libellos,
Et premitur libris orbis uterque novis.
Ille emendando nomen sibi quaerit & alter
Illustrat dubios, auget & iste libros.
His alii notulas & commentaria jungunt,
Mundus & innumeris auctior inde libris.
His addas illos etiam, qui praela fatigant,
Ut relegant nugas foemina virque suas.
Hi risu digni: ast doctos laudare labores
Quos olim doctis charta loquetur anus,
Hos, THEODORE, *decet, talis Tuus est labor iste*
Perge, & jam dignum Te quoque finge Deo!
Prisca novumque micant, chartis & abundat in illis
Ingenium praestans & Tua docta manus;
Cum pius & stirpem reddis recitasque sudores,
Queis STEPHANI *lauros promeruere sibi,*
Doctrinae sic; macte! probas exempla probatae,
Cum retro STEPHANOS *tam pia cura dedit.*
Quod stylus & studium, quaecunque annosa vetustas
Exigit, haec solida mente reposta tenes.
Ergo vetustatis si quis studiosus amator
Haec legat & doctam laudet & inde manum.
Sic, THEODORE, *Tui jam gloria rara Parentis*
In Te consurget, JANSSONII*que decus.*

DAVID DOORNIK.
J. U. D.

 Doctissi-

Doctissimo ac Experientissimo

VIRO

THEODORO JANSSONIO

AB ALMELOVEEN, M.D.

Amico suo intimo

CORNELIUS à BEUGHEM.

S. P. D.

SAT multos, ut cum Poeta tuo loquar, Genealogiam ac Officinam Typographicam Stephanianam, pressisti in annos; quare ut tandem claustra rumpant, non tam curiositatis meae, quam Clarorum aliquot Virorum causa, quibus tuos hosce conceptus coram & per literas significavi, obnixè rogo. Nullum est dubium quin Ars Typographica maximum emolumentum Reipublicae literariae attulerit, quod *Campanus Aprutinus* Pontifex uno versu elegantissimè expressit.

* *Imprimit illa die quantum non scribitur anno.*

Si effatum hoc verum, ut est verissimum, quid judicandum erit de nitidissime ac correctissimè impressis libris, qui ex Officinis praesertim Stephanorum typis unquam prodierunt. Utrumque scriptum, superiori anno, coram inspexi, & quae ad illustrationem utriusque aliquatenus spectare videbantur lubens submisi: attamen nullus dubito, quin ab illo tempore magnum incremen-

* Malincrot. pag. 15. de Art. Typogr.

crementum assumpserit, cum me tua diligentia ac indefessum studium in iis enucleandis non fugiat. Quae enim in Quintilianum, in Horatii Artem Poeticam adornasti Commentaria, ut & alia, quae meditaris scripta, utpote Medicina Antiqua, seu Demonstratio Originis, ac progressuum Artis Medicae, in qua quosdam scriptores defendis, & Inventa nonnulla quae hodie nova habentur Authoribus suis restituis, abunde hoc testatum facient, magisque, ubi haec & illa lucem viderint, testabuntur. Quae modò sunt mea studia scire cupis, utque proximis tuis satisfaciam, haec habe. Totus nunc sum in adornanda Historia mea Literaria, Critica & Experimentali Novissima, cujus nuperrimè quae sunt Galliae sub titulo *la France Scavante*, typis dedi. Recens in Re Medica & Physica exploratorum Syllabum (quem inter alios tuo nomini inscribere gestio) ex variarum nationum Actis tam Medicis quam Philosophicis, in praesens adorno. Quod vero ad Bibliographiam meam novissimam attinet, illius Conspectus Historicus, Chronologicus ac Geographicus apud vos Amstelodami sub praelo sudat. Utinam vero mihi aliquis Moecaenas in vestro Belgio innotesceret, cujus liberali subsidio, quae ad illustrationem Belgii eorumque Scriptorum tam populari, quam quavis alia lingua illustrium, hactenus non tam meditor quam meditatus sum, elaborare ac tandem typis dare liceret. Interim Vale, utque coepisti, mihi favere, perge.

Dabam Embricae Clivorum, d. 25. Martii Anno 1683.

ARTIS TYPOGRAPHICAE QUERIMONIA,

De illiteratis quibusdam Typographis, propter quos in contemptum venit.

AUTORE

HENRICO STEPHANO.

HENR. STEPHANUS *Lectori bonis literis benecupienti S. D.*

S*Cribimus indocti doctique Poëmata passim*, exclamat Horatius, postquam dixit agendae navis ignarum non audere eam agere, medicos, quod medicorum est promittere, fabros fabrilia tractare. In eandem verò sententiam & alibi canit,

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae, discive trochive, quiescit;
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit, versus tamen audet fingere.

Hoc autem quam verum nostra etiam aetate comperiatur, quotidie testantur misera poëmata, quae deferri videmus *in vicos vendentes thus & odores* (ut hîc quoque verba Horatiana usurpem) *& piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.* Sed quod ille de iis dixit qui γράφουσι, multò etiam justius de iis dicemus qui τυπογραφοῦσι poëmata, quamvis aliena, nec poemata duntaxat, sed alia aliorum quorumlibet scripta. Quid? doctrinam typographi & ejus qui poemata scribit, parine

parine in lance expendendam censes? Non equidem: sed utrosque, si indocti sint, aeque suo in genere (ut ita loquar) indoctos esse & censeo & affirmo. Quantum enim multi hujus seculi versificatores ab ea doctrinae absunt mensura quam vel mediocris poesis, (si liceret mediocribus esse poetis) desiderat, tantum plerosque typographos ab ea quam ars illorum poscit vel flagitat potius, abesse dico. ut de iis taceam qui non sunt indocti, id est parum docti, aut etiam minus quàm parum docti, sed ne digni quidem sunt qui indocti vocentur, quum sint prorsus analphabeti. Quid? (dicet fortasse quispiam) quum tot librorum agmina ex tot typographorum officinis prodeant, quos omnis doctrinae expertes esse constat, an ita necessariam illis esse literarum cognitionem existimas, ut à suis fertilissimis alioqui prelis, in quibus consenuerunt, tanquam Aristophanicos Strepsiadas, ad tam seram scholam vocare, & veluti Pelias quosdam recoquere velis? Atqui, si ideo typographicae arti doctrina non est opus, quòd multi eam indocti exerceant, ac de iis queri minime debeo; itidem certe poeticae non esse necessariam, quòd ab indoctis etiam multa profici, sci poemata videamus, ideoque de illis immerito questum esse Horatium pronuntiabimus. Nisi fortè poeticae quidem necessariam omnino esse poeticam, at typographicae arti non item. dicet aliquis. Sed quo id ore dici à quoquam poterit? Itane verò librorum editio pro dignitate ab iis elaborari poterit quibus nihil cum Musis commune est? Itane verò artem cujus velut tutelae ac fidei literae hoc seculo commissae sunt, fideliter tractare literarum imperitus poterit? Ecquid obsecro dicturum putamus Aldum, si nunc reviviscens videat successisse sibi typographos quorum non minima pars vix penè aliud in libris, quàm quomodo

alba pagina discernenda sit à nigra, intelligit? (Nam qui tantum profecerunt ut Graeca literarum elementa possint à Latinis, Hebraica à Graecis discernere, atrocem sibi fieri injuriam existiment si in numero indoctorum habeantur) Quid verò dicturos M. illum Musurum & Janum Lascarin putamus, in quibus primis Graecia reviviscere coepit, & qui principes in pandendo nobis ad linguae Graecae adyta itinere fuerunt? quid, inquam, dicturos remur, si, quum ipsi tantum honoris arti typographicae detulerint, ut non indignam existimarint cui suam operam navarent, fungentes munere correctorum (liceat enim de rebus typographicis typographicè loqui) eò rem devenisse videant, ut siquis tria Latinae linguae verba totidemque Graecae norit, typographicae illius correctioni nobilissimi quique utriusque linguae scriptores committantur? Quid enim, obsecro, aliud est, hanc in illos scriptores potestatem ejusmodi hominibus permittere, quàm gladios furiosis in manus tradere? Eorum ego è numero quendam olim cognovi, illo correctoris munere tam crudeliter fungentem, ut omnibus locis in quibus vocem procos inveniebat, plagas infligeret, porcos nimirum in locum illius substituens: itidemque; ubicumque verbum Exanimare accurrebat, ipsum in Examinare mutaret: (adeo quidem ut & apud Horatium legeret, *Cur me querelis examinas tuis?*) quod nimirum haec vox pariterque illa (sicut aliae propè infinitae, in quas eandem tyrannidem exercebat) Latinitatis ejus terminos excederent, peregrinitatisque damnandae ei viderentur. Porcos enim (aiebat) scio esse animalia quaedam sic vocata: at procos nec animalia nec aliud in Latino significare puto. interim malo vocem de qua certus sum, pro ea reponere. Alii sunt qui neque quid nomen Proci, neque quid verbum

Exa-

Exanimare valeat, ignorent, ac Latina esse minimè negent, in aliis item perinde tritis non haesitent: sed quum paulo istis rariora vocabula in eorum oculos incurrunt, ad ipsa, tanquam monstra quaedam, obstupefiant: atque adeo procul unumquodque hujusmodi vocabulum abigant, aliud sibi familiare in ejus locum advocantes, vel potius obtorto (ut ita dicam) collo pertrahentes. Exemplum autem ex multis unum, sed valde insigne, proferam. Quum dixisset Horatius, epistola 2 libri prioris, *nunc adbibe puro Pectore verba puer*, ad verbum hoc *adbibe* attonita frequens hujusmodi correctorum turba, in *adhibe* mutavit: non unum una in voce, sed multiplex, erratum admittens, ut cuilibet (qui modò illorum similis non sit) manifestum esse potest. Et tamen in pluribus quàm triginta diversis editionibus praeclaram illam emendationem me videre memini. Ac certè vix tandem Lugdunensi cuipiam correctori persuasi ut post hac inemendatum Horatium eo in versu esse sineret id est, suum *adbibe*, quod mendosum ille putabat, ei relinqueret. Viden', lector, viden' cum quibus nunc hominibus negotium sit antiquis illis Latinae linguae scriptoribus? Nam de Graecis quid attinet dicere? Graecae linguae penetralia ingressi sunt scilicet qui Latinam vix à limine salutarunt: aut ab illis multum sperandum est qui ipsis librorum frontibus ignorantiae suae imaginem ad vivum expressam praefigunt. Sic nuper ex quadam Germanica officina (urbis enim nomini parco) prodiit Graecus liber, in cujus fronte quum diligentiam in eo adhibitam commendare vellet is cui hanc provinciam demandarat typographus, in eo ipso verbo quo emendatum significare voluit, tribus foedissimis erravit modis, non typographicis quidem illis, id est non ex operarum

in-

incuria, ſed ex mera linguae Graecae ignorantia apertè proficiſcentibus. Atque ita miſer typographus dum honorifico titulo commendatam eſſe editionem ſuam exiſtimavit, contrà ſuo ipſemet praeconio (tanquam ſuo ſe gladio jugulans) illam infamavit. Quod verò omnium maxime rediculum eſt, videmus paſſim typographorum epiſtolas Latinas, interdum & Graecas, quorum plurimi ne primum quidem earum verbum intelligere, nonnulli ne legere quidem illas poſſunt. Quam multa verò inſuper mala haec typographorum ignorantia invehat, alius erit fortaſſe dicendi locus. Sed interim (quum hunc tam miſerum tamque calamitoſum artis typographicæ ſtatum ſaepenumero mecum deploraſſem continere me non potui quin omnibus qui Muſas eo proſequuntur, & amore & honore quo merentur, luctum meum teſtatum relinquerem, vel potius illos in ejus partem (tanquam de meo tantundem detracturus) vocarem. Qui tamen multo certè libentius vindices tantae miſeriae & injuriae quàm deploratores advocaturus eram, ſiquos uſquam gentium repertum iri exiſtimaſſem. Hinc tandem erupit illa quam nunc edo querimonia, inter innumeras occupationes à me ſcripta, nec tamen ex ullo odio, vel ex invidia, (eſt enim, Dei beneficio, cur invidear ab ὁμοτέχνοις, potius quàm cur invideam) ſed ex animo gravi indignatione percito profecta. Verùm dicet quiſpiam, Heus tu, non meminiſti verſus Horatiani quem initio hujus epiſtolae protuliſti? *Scribimus indocti doctique poemata paſſim.* annon & in tuum poema eundem jactatum iri exiſtimas? Imò vero & memini, & me primum omnium in illorum, non in horum numero colloco: ſed ut aggredi illud auderem fecit hic alius ſatyrici verſus, *Si natura negat, facit indignatio verſum.* Vale.

AR-

ARTIS TYPOGRAPHICAE QUERIMONIA,

De illiteratis quibusdam Typographis, propter quos in contemptum venit.

Autore HENRICO STEPHANO.

ILLA ego quae quondam, coelo ut delapsa, colebar,
Illa ego quae multis numinis instar eram:
Quam comitem addiderat mundi miracula septem,
Quae decima Aonidum sum numerata soror:
Deliciae humani generis vocitata per orbem,
Quae vocitabar amor deliciaeque deûm:
Hei mihi, nunc miseram, contempta, ingloria, vitam,
(Si tamen haec vitae est nomine digna) traho.
Nunc traho quod superest, per mille opprobria, vitae,
Sicque meae laudi vivo superstes ego.
At vos, quorum animos vulgi non fascinat error,
Nec sua credulitas credere falsa jubet,
Me (quaeso) indicta damnari expendite causa,
Nec peragi justi judicis ore ream.
Crimina multa quidem ex omni me parte lacessunt:
(Foeta subinde novis pectora livor habes)
Sed duo praecipuè nostram oppugnantia famam,
Implerunt acri quae mihi bile jecur.
Me veterum autorum clamant pestemque luemque,
Sacrilega hos clamant me violare manu.
Sentinamque operum dicunt proferre novorum,
Quam piper & triviis salgama nota manent.
Nimirum haec ea sunt quae me duo crimina vexant,
Inque odium reliquis quae rapuere magis.
At non jure in jus me dico fuisse vocatam:
Nam quae non pecco, suntne luenda mihi?
Non peccare autem, suffragia vestra probabunt,
Si patiens auris, candida mensque sinat.

Nam-

Namque age, Mavortis si quis sibi sumpserit arma,
Sed qui non itidem Martia corda gerat:
Si capiti galeam laterique accommodet ensem;
Si parma & telis instruat ille manum:
Vixque tamen visis vertat terga hostibus idem,
Parmam cum telis excutiente metu:
Istane Mavortis culpa est? num portio laudis,
Idcirco Marti deperit ulla suae?
Sive lyram pulset lyricae qui nescius artis,
Et miseras aures enecet usque sonis,
An Phoebus debet culpam aut praestare Camoenae?
Aut lyricae hoc artis dedecus esse potest?
Si chartas nunc ergo meas, si prela typosque,
Instrumenta operis quotque ministra mei,
Turba indocta malos indocte vertit in usus,
Num merito in partem criminis ipsa vocer?
Siccine sim adjutrix illis fautrixque putanda,
Quos cane, quos odi pejus & angue palam?
Atque adeo quod velle licet, si posse daretur,
Iam factis odium testificata forem.
Sed quid agam? quae dij tolerant, tolerare recusem?
At fastu dicar nunc tumefacta novo.
Optavi quoties, tenebris adoperta laterent?
Quae mea nunc lucem munera cunque vident.
Nec solum hoc, aliis oneravimus aethera votis:
Omnia quae celeres diripuere Noti.
Iidem debuerant etiam rapuisse dolorem,
Qui menti requiem surripit usque meae.
Hei mihi quod propriis patior nunc vulnera telis,
Armaque me contra sunt fabricata mihi.
Nam queis barbaries à me prosternitur armis,
Quotquot & errorum turpia monstra latent:
Denique queis foedas expello mente tenebras,
Me dominam illa suam nunc male sana petunt.

Vul-

Vulnera forsitan haec dices non esse cruenta.
Esse cruenta quidem vulnera, & ipsa nego:
Nobilitate animus sed quanto corpore praestat,
Vulnera tanto animi quis graviora neget?
Utque bono patri dolor ingens improba proles,
Objicit hanc illi qui tamen, ille gravat:
Vulnera sic per se sunt nostra gravissima, linguae
Sed multo reddunt asperiora malae.
Me miseram: incipiunt quoties effundere virus,
Et probris nomen dilacerare meum,
Terra mihi toties opto mihi terra dehiscat:
Horror ad has voces pectora tantus habet.
Nam veterum autorum quum sim columenque salusq;
Illorum labes perniciesque vocor.
Turba equidem (fateor) me multa professa magistram,
In scripta illorum perpetrat omne nefas:
Atque manu illota quae sunt sacrata profanat,
Quam vel sacrilegam dicere jure queas.
Sed gregis istius si dicor jure magistra,
Si tanti sceleris conscia credor ego,
Nempe fugax itidem est miles, Mavortis alumnus,
Est itidem trepidae conscius ille fugae.
Et quicunque malus toto citharoedus in orbe,
Scilicet illius Phoebe magister eris.
Sic mala dicetur textrix à Pallade docta,
Vulcanusque malum sic docuisse fabrum.
Dicendusne meus quicunque typographus audit,
Et chartas graphicis implet ubique typis?
Atqui turba isto titulo nunc multa superbit,
Quae porcos fuerit pascere digna magis.
Vix noruntipsas multi de nomine Musas,
Vix norunt Musis aut Helicona sacrum.
Quid dico? pudet his longè graviora profari,
Atque magis possint quae superare fidem,

Proh pudor, haud rarus numero reperitur in illo,
Nominis ignorans ipsa elementa sui.
I nunc, & veterum foedata volumina multis
Mirare ac multis contemerata modis:
Agmina scriptorum graphicos & multa novorum
(Hoc est, nugarum plaustra) dedisse typos.
Quid mirum? ut caecus discernit nemo colores,
Horum discernit sic quoque turba nihil.
(Fallor ego, atra sciunt quae pagina, quaeque sit alba.
Hac, fateor, caecos re superare queunt)
Audio saepe illas & vestro ex ore querelas,
O queis lingua in me felle madere solet.
Qualia sed de illis vos audio saepe querentes,
Talia de vobis discite quisque queri.
Nanque (quod indignum est) numero censetis eodem
Artificesque malos, artificesque bonos.
Atqui nostrum equidem decus hi censentur: at illi
Sunt mihi sunt seclo dedecus atque pudor.
Hi nempe esse mei meritò dicentur alumni,
Hi mea cura viri, deliciaeque meae.
Grexque adeo meus hi: (per totum si tamen orbem
Quinque decet vel sex nomen habere gregis)
Illos contrà oculi mihi sunt animusque perosi,
Exosa illorum nuda vel umbra mihi.
Instrumenta quidem mea nunc famulantur & illis:
Esse sed haec praedam, non mea dona, puta.
Artifices appello malos (ne nescius erres)
Non quo vulgus eos more vocare solet:
Sed jejuna quibus doctrinae pectora, quorum
Ad Latios auris stat stupefacta sonos.
Artifices hos nempe malos ego conqueror esse,
Hos fidei artifices conqueror esse malae:
Ornamenta licet conquirant undique libris
Quae dare cunque potest ulla perita manus.

Nan-

Namque quod humano mens est in corpore, quod mens
Praestare humano corpore clausa potest,
Hoc opere in nostro praestat correctio: (voci
Fas usum veteri sit tribuisse novum)
Haec fugat à scriptis tenebras, lucemque reducit,
Una haec cum mendis aspera bella gerit.
At taurus sumptis carpet prius aera pennis,
Aut liquidas pinnis ille natabit aquas,
Et prius in sylvas prorumpet ab aequore delphin.
Notaque setosis gramina tundet apris,
Illo tam insigni quam munere fungier unquam,
Et sacro Musis, turba profana queat.
Lumina sunt nobis aliena vicaria, dicunt,
Seque sat armatos hac ratione putant.
Atqui oculo alterius nolle in re fidere parua,
In tanta est quantus fidere velle furor?
Resne typographica est (mihi cor exaestuat ira)
Vilis ita ut cuivis posthabeatur equo?
Nanque oculum domini (cunctis res prodita seclis)
Pinguis ut evadat, poscere fertur equus.
Sed quid ego haec frustra? canitur nam fabula surdis,
Et siquid surdis surdius esse potest.
Ergo libet nostras tandem finire querelas,
Et tandem dicto claudere multa brevi.
Vt quidam è sophiae fertur dixisse magistris,
Mille auditorum est unicus iste loco:
Sic prudens judex, recti studiosus & aequi,
Multorum nobis unicus instar erit.

HENRICI STEPHAN
EPISTOLA,

Qua ad multas multorum amicorum reſpondet, ſuae typographiae ſtatu, nominatimque de ſ Theſauro linguae Graecae. *In poſteriore a tem ejus parte, quàm miſera ſit hoc tempore vet rum ſcriptorum conditio, in quorundam typogr phorum prela incidentium, exponit.*

INveni tandem aliquando rationem q vobis ſimul omnibus, id eſt amantiſſim veſtrum omnium literis, una eademq opera ſatisfaciam, & vel ruſticitatis vel a rogantiae apud vos ſuſpicionem effugia Ad ea enim de quibus ſinguli ſcripſiſtis, quum ſingu reſpondere per occupationes plurimas atque ma mas mihi non licuerit antea, & multo etiam minus ceat in praeſentia, communem ſaltem ſcribendo ep ſtolam, eamque unicuique veſtrum mittendo, reſpo dendi munere apud unumquenque defuncturum r puto. Sed quoniam de re quidem omnes eadem, n idem tamen ſcribitis, literarum veſtrarum argumen in quaſdam veluti claſſes diſtribuam, ad ea deinde ſig latim reſponſurus.

Quidam igitur ex vobis, quis meae ſit typographia ſtatus, aut certè quo in ſtatu ſint res meae typograph cae, ſciſcitantur, ſummoque id cognoſcendi deſideri ſe teneri ajunt. alii, quinam ad hunc uſque diem lib ex ea prodierint, percontantur: alii (& ii quiden caeteris curioſiores) non de praeteritis tantùm &

prae

raesentibus, sed de futuris quoque laboribus me in-
errogant. Commune autem hoc vestrae literae ha-
ent, quòd multas de uno peculiariter libro, nimirum
e Graecae linguae Thesauro, interrogationes con-
nent.

Quod ad eos attinet qui sciscitantur quos officina
nea dederit hactenus libros, iis pro me, meorum li-
rorum index, quem cum hac epistola mitto, respon-
um dabit. Percontantibus autem de statu meae ty-
ographiae, non video quid potius respondere de-
eam, quàm eum, ut in rebus malis, (id est adversis)
sse bonum: contrà verò, ut in bonis rebus, (id est
rosperis) esse malum. Sicut enim non friget mea ty-
ographia hoc tempore, ita etiam multum abest quin
erveat: praesertim si ejus fervor ex fervore deside-
i quo verè haereditario flagro promovendi remp. li-
erariam, aestimandus sit. Quum enim studio curaque
c diligentia circa res bonis literis perutiles caeteris
atisfaciam omnibus, ipse mihi nequaquam satisfacio:
ed quotidie cum sene illo Terentiano queribundus
ico, Me, quantum operis faciam pœnitet. Lente ta-
nen festinando, scripta Plutarchi, simulque Thesau-
um Graece linguae, (qui libri praecipui sunt inter eos
uos nunc sub prelo habeo) tandem eò perduxi, ut
revi manum extremam editioni amborum impositu-
um me sperem. Venio ad curiosiores illos qui de fu-
uris quoque laboribus me interrogant. Horum ego
desiderio ea lege morem geram, ut quum de laboribus
ad quos me primos accingo, & quos jampridem men-
te agito, certiores à me facti fuerint, me vicissim ipsi
de omni ope quam se mihi ad eos praestare posse exi-
stimant, certiorem primo quoque tempore faciant.
Strabonis igitur opera caeteris historicorum moni-
mentis partim à patre meo, partim à me editis, adjun-

gere me ſtatuiſſe profiteor. Ad quorum emendatiorem editionem quamvis non pauca vetuſti codices adminicula ſubminiſtrent, plura tamen à me deſiderari non inficior. Praeterea verò quoniam multi jam poetae ex officina mea prodierunt, de Athenaeo etiam & Stobaeo excudendis cogito, qui tam multa, tam elegantia, tam multorum poetarum fragmenta habent. Statui certè & quæcunque apud ullos alios autores extant, colligenda curare. Ad Ariſtophanem vero excudendum vel ipſe commentarius Graecus me impellet fortaſſe, in quo multa poſſe reconcinnari, atque ita longè utiliorem reddi exiſtimo. Antequam autem editionem ullius philoſophi aggrediar, Diogenis Laertii de vitis ac ſectis philoſophorum libros edere decrevi, in quem tam multas caſtigationes habeo ut non multo plures deſiderari debeant, fortaſſe autem nec inveniri queant. Lucianum etiam à me editum iri ſpero, ſcriptorem non tam depravatum quidem quàm plerique alii, depravatum tamen: ſed ex cujus lectione major quàm vulgus credat percipi poſſit utilitas. Ex grammaticis porro ſcriptis noſtri temporis, Budaei Commentarios linguae Graecae, (quorum varii loci à me examinati fuerunt) & Eraſmi Adagiorum Chiliadas, cum meis animadverſionibus multo auctioribus, tradere prelo in animo jampridem habeo. Quanvis autem Graecos ſcriptores prius recenſuerim, fortaſſe tamen eorum editio poſterior erit horum trium Latinorum editione, M. Tullii Ciceronis, Titi Luvii, Plinii. Quibus Aulum Gellium, nec nôn Macrobium addere ſtatui. Iam verò quod ad mea ipſius ſcripta attinet, quem & olim pollicitus ſum De originibus mendorum librum, aliquando tandem & ipſum in lucem prodire ſinam. Poſtremò elaborata à patre & edita opera, quorum editiones

cupio

cupio renovare, (ſed cum ea & locupletatione & recognitione quae ab eo ipſo expectanda fuiſſet, ſi vitam illi Deus prorogaſſet) ſunt haec duo potiſſimum, Theſaurus linguae Latinae, & Dictionarium Latinograecogallicum: in quo non vocabula tantum Graeca Latinis, ſed multa etiam loquendi genera Graeca Latinis reſpondentia, adjungentur. Iam verò & Bibliorum editionem cum iiſdem quas ille excudit annotationibus, ſed recognitis, renovare conor: adjuncto quoque interpretationi Latinae (quae & ipſa recognoſcetur) Hebraico textu: fortaſſe autem & ea verſione quae vulgo LXX interpretum vocatur. Haec ferè ſunt, viri chariſſimi, quibus proximos typographiae meae labores deſtinavi: quae me vobis ea lege recenſuiſſe memineritis, ut quamcunque ſymbolam ad eorum editionem conferre poteritis, eam mihi non denegetis, nequaquam certe ingrato futurò, ſed gratiam & verbis publicè habituro, & re quoque liberaliter relaturo. Ea praeterea lege, ut vires mihi à Deo Opt. Max. tantis oneribus ferendis pares precemini: &, ſi forte remiſſiorem me factum audiatis, tanquam ἐργοδιώκτῃ, ita urgeatis ut interim de iis quae ultrò in literariam rempubl. collaturum me polliceor, non tanquam creditores de pecunia appellare videamini.

NUNC VERO ut de meo Theſauro Graecae linguae aliquid dicam, poſcit is ordo quem in recenſendis tenui veſtrarum literarum argumentis. Quanvis enim extremam ei manum à me brevi impoſitum iri ſperem, (uti dixi) quoniam tamen vereor ne antequam ad colophonem veniam, variis literis de eo, ſicut antea, multa ſciſcitantibus reſpondere ſigillatim neceſſe ſit, & quantum illis ſcribendis impendam temporis, tantundem operis illius progreſſum remorari:

praeterea verò quoniam alios plerosque esse scio qui eadem cognoscere, licet non interrogent, summopere cupiunt: semel munere illo defungi, nec duos una fidelia (ut est in proverbio) sed multos parietes dealbare, commune omnibus responsum dando, operaepretium fore existimavi. Ut autem à rumoribus quos de opere illo circunferri scio, initium sumam: sunt qui thesaurum linguae Graecae à me expectent, in quo Graecae voces Graecis, non autem Latinis exponantur. Sunt contra qui & expectent eum in quo Latinis, sicut in superioris temporis lexicis Graecolatinis, exponantur; & non aliud sibi quàm ejusdem generis Lexicon, sed multo locupletius polliceantur. Sunt denique qui, quod vocabula in meo Thesauro, longè alio quam alphabetico ordine digesta esse audierint, quisnam is esse possit, valde mirentur; ac ne iis duntaxat qui in linguae Graecae cognitione veterani sunt (ut ita loquar) non item tyronibus labor meus utilis futurus sit, vereantur. En qualem à me Thesaurum plerique expectent: nunc qualis expectandus sit, (si modò dederit Deus ut uno eodemque laboris quasi tenore in eo pergam) superest ut vobis patefaciam.

Primùm igitur in opere illo Graeca vocabula ubique Latinis reddi, alicubi & Graecis exponi dico: sed quod in vulgatis lexicis Graecolatinis fieri videmus, ut ad unius Graeci vocabuli expositionem, quindecim, viginti, atque adeo triginta etiam alicubi vocabula serie continua subjungantur, id verò à me aut factum esse aut fieri debuisse nego. Nam etiamsi tot Latinis reddi Graecum unum posset, (quum ibi contrà quaedam in magno illo numero sint quae longè diversam significationem à vocis Graecae significatione, quaedam etiam quae contrariam habent) tamen quid hoc

aliud esset quàm lectorem obruere indistincta & confusa significationum varietate? Et quoniam de hiis disserere non prolatis exemplis, fuerit de re per se clara, tanquam obscura, loqui, parumque utilitati studiosorum linguae Graecae, qui haec legent, consulere: non committam ut ea invidisse, tanquam illorum progressibus simul invidens, dici possim: praesertim quum ad ea invenienda sit duntaxat aperiendus liber. Ecce igitur verbum Βαίνω quod eo aperto primum in oculos incurrit, duas & viginti interpretationes continua serie subjunctas habens: videlicet, Vado, Sedate gradior, Eo, Ire facio, Adeo, Provenio, Intro, Tendo, Ambulo, Ingredior, Insisto, Gradior, Accedo, Induco, Ineo, Supervenio, Incedo, Ascendo, Ascendere facio, Descendo, Amo, Adulor. Ex quibus interpretationibus pleraeque aut falsæ sunt, aut certe non satis aptae: sed etiamsi convenirent omnes, nonne sigillatim potius, id est singulae cum singulis exemplis collocandae forent? Ego igitur in meo Thesauro linguae Graecae ita: Βαίνω, Fut. βήσομαι. Pr. βέβηκα, à Βάω. Aor. 2. ἔβην, à Βῆμι, Gradior, Incedo, Eo. ut Hom. Il. ε. Βῆ δὲ διὰ προμάχων. Et in quodam oraculo, Βαῖνε δίκης ἄοσσον. μάλα τοι κακὸν ἀνθρώποισιν ὕβρις. In prosa quoque hunc usum habet: unde μεγάλα βαίνειν & ἁβρὰ βαίνειν, illud de incessu superbo, hoc de incessu molli, &c. Hinc autem ad reliquos quos habet istud verbum usus venio, sigillatim de iis ibi disserens. Sed libet & aliud exemplum proferre. Βάλλω ibi exponitur Mitto, Vulnero, Jaculor, Jacio, Insector, Prosterno, Admolior, Fundo, as: Incesso, Ferio, Proruo, Impeto, Immitto, Statuo, Coniicio, Abiicio. At ego ita, Βάλλω, Jacio, Jaculor. Quod posterius existimo primae & primariae verbi βάλλω significationi respon-

dere. ut enim dicitur Jaculari saxa, Jaculari ferrum, Jaculari fulmen, & Jaculari aliquem saxis, ferro, fulmine: eodem modo, βάλλειν λίθον, & βάλλειν τινὰ λίθῳ dicunt Graeci. Sed posterior haec constructio verbi βάλλω nihilo &c. Prolatis deinde utriusque constructionis exemplis, tandem addo, Sciendum est autem, interdum βάλλω per se poni, ut Jaculor. Demosth. Philipp. 3. κἂν μήπω βάλλῃ, μηδὲ τοξεύῃ. Xenoph. Hellen. 2. ἠκόντιζον, ἔβαλλον. Sic & apud Thucydidem lib. 3. τοὺς ἐπιβοηθοῦντας καὶ κάτωθεν καὶ ἄνωθεν εἶργον βάλλοντες, Jaculantes, vel Missilibus petentes, &c. Βάλλω, Attingo, Ferio, Figo, Saucio, Hom. Il. ε, -- οὐδ' ἔβαλ' αὐτόν. ubi Eustathius scribit, βάλλειν apertè pro ἐπιτυγχάνειν accipi. Sic & in aenigmate quodam Clearchi, quod ab eodem grammatico post Athenaeum refertur, pag. 713, λίθῳ τε κοὐ λίθῳ βάλοι τε κοὐ βάλοι. ubi docet βάλοι priore loco esse pro ἀφήσοι, πέμψοι, ῥίψοι: at posteriore pro οὐκ εὐστοχήσοι, sive οὐκ ἐπιτύχοι. Hoc autem sensu &c. Paulo post, At Βάλλω pro Ferio, Vulnero, Il. β, Βεβλήκει &c. ‖ Βάλλω, Jacio, Projicio, ῥίπτω, ut Odyss. ι, Οὔτ' εὐνὰς βαλέειν, id est, ἀγκύρας κατὰ βυθοῦ ῥίψαι, Eust. Sic Il. β, -- ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ, sceptrum in terram projecit. id est, ἔρριψε, seu κατέρριψε. Et Il. η, Τὸν μὲν πὰρ πόδ' ἑὸν χαμάδις βάλε. Paulo pòst, Βάλλω autem pro Abjicio, ut βάλλειν τοὺς ὀδόντας, de quo vide in Πρωτόβολος. ‖ Βάλλω, Emitto, ut Hom. βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν. Sic Euripides Hippolyto, -- ἀπ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ. Latini quoque non solùm Emittere lacrymas & Profundere, sed & Projicere lacrymas interdum dicunt.

ll Βάλλω, Immitto, Pono, Impono. Il. ρ, Παῦθω ἐν χείρεσσι βάλω καὶ Φρόνιδι δῖῃ. Et Il. η, κυνέη βάλε (omiſſa praepoſ.) pro ἐν κυνέη ἐπὶ, &c. ll Uſurpatur Βάλλειν pro Ponere in metaphoricis etiam loquendi generibus: ut apud eundem poetam βάλλειν ἐν θυμῷ, ad verbum, Ponere in mente, pro Verſare in mente, ſeu In animo cogitare. ut Odyſſ. α, v. 201, 202, -- ὡς ἐνὶ θυμῷ Ἀθάνατοι βάλλουσι, καὶ ὡς τελέεσθαι οἴω. id eſt, ἐνθυμοῦνται, uno verbo, ut ſcribit Euſtathius: addens etiam, βάλλειν ſignificare vel νοεῖν ἐπιτυχῶς, καὶ ὡς εἰπεῖν ἐπηβόλως, vel πθεῖναι. Quam poſteriorem expoſitionem admitto, priorem, ut nimium ſubtilem atque adeo commentitiam, rejicio. Neque enim βάλλειν per ſe declarare poteſt νοεῖν, ſed junctum cum ἐν θυμῷ, aut ἐν φρεσί, alio hujuſmodi. ut ſi dicas ἐν νῷ ſeu ἐν νοῖ βάλλειν, non dubium fuerit quin βάλλειν ſit ſimpliciter θεῖναι, quum habeamus factam inde vocem compoſitam νουθετεῖν. Qua forma dicuntur à Virgilio, Mente alta repoſtum, &, Senſibus imis reponas. Caeterùm frequentius voce paſſiva βάλλεσθαι utitur Homerus (ſi bene memini) quàm activa, in hoc loquendi genere, &c. Nam caetera longum eſſet adſcribere, ideòque in id tempus reſervabo quo totum opus luce donabitur.

Quantopere autem fallantur qui non aliud à me quàm unum ex vulgaris illis lexicis, ſed multo locupletius expectant, vel ex duobus illis quos jam protuli locis, fieri conjectura poteſt. Verùm quàm praeterea is labor me indignus, & alienus à fidelitate paterna, cujus vel maximè haeredem me à ſe relinqui exiſtimavit, (fidelitate inquam in iis quae ad typographicam artem pertinent) faciam ut apertè intelligatis.

Iis

lis quae circunferuntur lexicis Graecolatinis primam imposuit manum monachus quidam, frater Joannes Crastonus, Placentinus, Carmelitanus: sed quum is jejunis expositionibus (in quibus vernaculo etiam sermone interdum, id est Italico, utitur) contentus fuisset, perfunctoriè item constructiones verborum indicasset, nullos autorum locos proferens ex quibus illae pariter & significationes cognosci possent, multi postea certatim multa hinc inde sine ullo delectu ac judicio excerpta inserverunt. Donec tandem indoctis typographis de augenda lexicorum mole inter se certantibus, & praemia iis qui id praestarent proponentibus, quae jejunae, & (si ita loqui licet) macilentae antea erant expositiones, adeò pingues & crassae redditae sunt, ut in illis passim nihil aliud quàm Bœoticam suem agnoscamus. Nam pauca ex Budaeo, aliisque idoneis autoribus, & ea quidem parum fideliter descripta, (utpote parum intellecta) multa contrà ex Lapo Florentino, Leonardo Aretino, aliisque ejusdem farinae interpretibus (ut similes haberent labra lactucas) in opus illud transtulerunt. Ex iis quidem certè locis in quorum interpretatione felix fuit Laurentius Valla, paucissimos protulerunt: sed pro perverso suo judicio, perversissimas quasque ejus interpretationes (quales propè innumeras à me annotatas in Latinis Herodoti & Thucydidis editionibus videbis (delegerunt egregii illi Lexicorum seu consarcinatores seu interpolatores, quibus, tanquam gemmis, illa insignirent. Quòd si non quam multa, sed duntaxat quàm multorum generum errata ibi sint, commemorare velim, meritò certè exclamabo, τί πρῶτον, τί δ᾽ ἔπειτα, τί δ᾽ ὑστάτιον καταλέξω; Vix enim ullum errati genus posse à nobis cogitari aut fingi existimo, cujus ibi aliquod exemplum non extet. Quae igitur

fre-

frequentiora sunt, indicasse satis fuerit.) Quo in numero poni à nobis poterunt (ne longè abeamus) quae in duobus illis quos attuli paulo antè, habentur locis. Quis enim (ut caetera omittam) non dico, cognitione aliqua linguae Graecae, sed vel sensu communi praeditus, non animadvertat, rationi minimè consentaneum esse ut unum idemque verbum βαίνω per se ac sine ulla adjectione, & Ascendo & Descendo significare dicatur? Quod autem idem verbum exponitur Amo & Adulor, hujus tam insolentis & absurdae expositionis occasionem praebuit mendosum in eo verbo Hesychii exemplar. Sed haec non valde mirabitur (mirari certè non debebit) qui ibidem inveniet Αὐθαίρετος expositum Simplex, Verus, Manifestus, Brevis: & Ἡμιδαμὴς, Securi domitus: & Σιωπανὸς, Laudis particeps: de quo dicam & infra. Imò verò ne haec quidem valde mirabitur qui foediora etiam (si foediora esse ulla possunt) ibi legerit: ea nimirùm quibus vocabulo cupiam planè contraria significatio datur ei quam habet. Ut quum Παραθαρσυνῶ, quod est Hortor, exponitur Dehortor: quum Ἀπαναισχυντῶ, quod est Inverecundè seu impudenter me gero, aut Impudentia utor, exponitur ibi Verecundè facio. Quum Διώξιν ποιούμενοι, quod est Persequentes, exponitur Fugae se mandantes. Sed quod non errati genus (uti dixi) in illis spectatur. Unius autem generis mentionem feci in iis quae praefatus sum in meam editionem poetarum Graecorum: ita scribens, Verùm ex omnibus mendis in quibus extirpandis laboravimus, nulla frequentiora sunt in superioribus editionibus quàm quae orta sunt ex praepositionibus quae cum aliis vocibus incuria imperitiaque librariorum coaluerunt. Hinc certè factum est ut Homero multa vocabula ad-

scri-

scribantur, (& quidem nonnulla in bellis etiam istis & tam pulchros titulos mentientibus Lexicis) quae, si reviviscat, non intellecturus, nedum pro suis agniturus sit. Talia sunt, Ἐπικλίρεα, & Ἐνάπτεσθν, & Ὑφίμερον, & Ὑπότροπος, & Ὑποιηκέες, & Ὑπέμβρυον, & Περιηχήμμορε, & Καζαδέμνια, & Καζαβοχολέοντο. & alia denique plurima. Hæc ego ibi. Sed his addi posse dico non pauca ex iisdem Lexicis sumpta, ut Ἐπαπήνη, Currus: nato errore ex hoc versu Homeri, Il. μ, Σὼ δ' ἐπαρθὶ ἤεσαν ἐξ ἐςίω ἐπ' ἀπήνην. (aut certè ex alio quopiam versu, in quo habetur itidem hoc nomen praecedente praepositione) Non dubito autem quin aliquis ex consarcinatoribus lexicorum, inter ea vocabula quibus ipsa locupletabit, adjecturus sit etiam Ὑπαπήνη pro curru itidem, ex isto Homeri versu, Od. ζ, Ἡμιόνω θ' ὕπαγον, ζεῦξάν θ' ὑπ' ἀπήνῃ. & alius Ἀπαπήνη, ex isto loco, Od. η, — οἱ ῥ' ἀπ' ἀπήνης Ἡμιόνους ἔλυον. Errore equidem his omnino simili legitur in illis Ἐπαύλειος factum ex ἐπ' αὐλείου, quod extat apud eundem poetam, Od. α, Στῆ δ' Ἰθάκης ἐνὶ δήμῳ, ἐπὶ προθύροις Ὀδυσῆος, Οὐδοῦ ἐπ' αὐλείου. Horum in numero ponendum & Πολυκέρδιον, ex illis ejusdem poetae locis in quibus legitur πολὺ κέρδιον. ut Iliad. η, πολὺ κέρδιον εἴη. Et Il. ε, atque alibi, ἦ τ' ἂν πολὺ κέρδιον ἦεν. Sed ne putemus eos ex solis Homeri verbis occasionem arripuisse comminiscendi nova haec vocabula, ac novo more non lexica solùm, sed linguam Graecam locupletandi: en tibi & alia multo magis monstrosa atque prodigiosa, quae in iis leguntur: Πολωιχῶ, & Ἀβερδδύλη, & Ἀκονήλιθος, & Ἀμφιθεραμοπύλας, & Ἀπυρωτερφὴ, & Ἀρεινάτοχος, & Ἀναυλαύοντες, &

Σφι-

Σφιτεθλῶαι, & alia quae longum omnia foret recensere. Quòd si Homerus superiora illa vocabula ex suis depravata intellecturus non esset, quid de his dicemus? an esse ejusmodi quae ille intelligere posset? Imò verò prodeant cum Homero Hesiodus & Orpheus, prodeat Theocritus, prodeat doctus Callimachus, prodeat mirus ille vocabulorum fabricator Nicander, prodeant denique quicunque olim extiterunt poetae, & cum illis oratores, historici, quoscunque denique in ullo genere scriptores habuit unquam Graecia: ad ista vulgarium Lexicorum Graecolatinorum centies reconsarcinatorum vocabula obstupescent, atque obmutescent. Quid? annon magnae hoc laudi dandum est illis reconsarcinatoribus quòd sibi peculiaria quaedam vocabula habeant, ad quae intelligenda celeberrimis illis scriptoribus eorum schola petenda sit? Quid? nónne optimè de lingua Graeca merentur, qui eam alioqui verborum inopem tam multis vocibus ditant? Verùm ut seriò potius de re seria loquar, addant unicuique harum vocum significationem quae in Lexicis illis habetur: simulque quo sit modo in unaquaque erratum, ostendam. Prima vox est Πολωνικῶ, quae ibi affertur ex Thucydide pro Longè vinco, Facilè supero. Erratum autem hîc ortum est ex adverbii πολὺ cum verbo νικῶ permistione, eodem prorsus pacto quo in illo πολυκέρδιοι, cujus paulo antè memini, errarunt commiscendo πολὺ cum κέρδιον. Secunda, Ἀ'βεϱδηλη, dicitur significare Pellex, sive Concubina. Natum est autem hoc vocabulum ex vocis ἄβεϱα expositione, confusa cum hac ipsa per errorem. quum enim Hesychius ἄβεϱα exposuisset δούλη, id est Serva, & vox haec ἄβεϱα & ejus expositio in unum conflatae, novum

novum hoc & inauditum ſeculis prioribus vocabulum fecerunt, ἀβερδύλη. Tertius datus fuit locus voci Α'κονήλιθος, quae exponitur Cos, cotis. Originem autem vox iſta habet ex errore omnino ſimili ei qui in ſecunda commiſſus eſt, nimirum in Α'βερδύλη. eſt enim itidem ex nomine ἀκόνη, & λίθος, quod ei pro expoſitione ſubjungitur à Suida. Quarto loco numerata fuit Α'μφιθερμοπύλας, id eſt Apud Themopylas. perperam videlicet juncta praepoſitione ἀμφὶ cum accuſativo Θερμοπύλας. Quinta eſt Α'πυρωτροφή, quam tradunt ſignificare Crudus cibus. Qua in voce major quàm in proximè praecedentibus eſt depravatio: quum non ſolùm permiſta ſint duo vocabula in unum, ſed etiam mutata litera ο in ω, & omiſſa litera σ. Scribendum eſt enim ἄπυρος τροφή. Sexta eſt Α'ρετηγάτοχος, quod exponitur ἐν τῷ ἄρχειν συνθεσιῶν, & affertur ex Euripide: perperam ſcriptum pro ἀρχηγάτοχος. Septima eſt Α'ναυλαθοιντες. quae exponitur Sine tibiis ſacrifiacntes: non ſolùm perperam confuſis duobus vocabulus in unum, ſed & perperam ſcripto θοιντες pro participio θύοντες. Non dubium eſt enim quin ex ἄναυλα θύοντες facta ſit vox illa. Octava eſt Σφιτεθλῶαι, quae exponitur Conditam eſſe legem. In qua expoſitione, ſicut & in ipſa voce Graeca, erratum eſt. quum ſit σφιτεθλῶαι pro σφῖ τεθλῶαι, id eſt Ipſis aut ſibi poſitum eſſe, ſeu poſitam. Sed ex illa mendoſa expoſitione conjicere poſſumns, in eo loco unde ſumptae ſunt voces illae σφὶτεθλῶαι (quae poſtea perperam conflatae in unam fuerunt) ſcriptum fuiſſe νόμον σφὶ τεθλῶαι. Haec nimirum ſunt illae vulgarium lexicorum Graecol. divitiae,

tam

tam rarae videlicet voces (si tamen quae nusquam extant, ac commentitia sunt, seu potius orta ex errore in quem ignorantia impulit, rara vocari debent) & prorsus inauditae compositionum formae ac monstrosae, (ut antea dixi) adeo quidem ut ex compositis illis vocibus quasdam centauriformes appellare quis possit. Cujusmodi alias si fingere liceat, non multum posthac in locupletandis lexicis laborandum fuerit: si nimirum quælibet vox cum qualibet putetur posse tali compositionis forma coalescere. Sed audite obsecro quis animo meo sæpe obversetur metus. Metuo certè ne miseri isti βαρβαρολεξιογονυρραπτάδαι & voces illas & alias quamplurimas, itidem commentitias aut quolibet modo mendosas, quas ego relegavi, vel potius ἐς κόρακας amandavi, tanquam per incuriam à me praetermissas, in meum etiam illum Thesaurum intrudant. Quod quum accidet, idem prorsus mihi quod patri meo, Roberto Stephano, id est, idem meis quod ejus laboribus, usu veniet. Quum enim ille Venetiis agens quandam officinam typographicam ingressus esset, in qua excudebatur ejus Thesaurus Latinae linguae, sumpta in manus charta, oculos statim in quoddam vocabulum conjecit, quod se olim rejecisse, dum opus illud construeret, recordabatur. Miratus ergo, suum exemplar afferri ad se jussit, quòd suae memoriae non omnino fidendum putaret. Ibi certè vocabulum illud non invenit, sed margini adscriptum, ut insereretur, videt. Tunc eum cujus manu adscriptum erat, convenire: & quo id consilio fecisset, interrogare. Hic verò non aliud respondere quàm se non vocabulum hoc solùm, sed aliquot alia itidem adjecisse. Quae quum patri meo ostendisset, ea ipsa esse comperit quae itidem olim rejecerat. Qua ex

re tanto dolore exarsit, ut continere se non potuerit, quin illum aliosque qui ad ditandum praeclaris hisce divitiis Thesaurum operam suam itidem locarant, asinos Arcadicos vocaret. Verùm haec obiter. Quod si libeat ulterius in excutiendis illis Lexicis pergere, & aliud quodpiam erratorum genus, quod summam illorum consarcinatorum reconsarcinatorumque doctrinam testetur, in medium producere: de iis vocibus dicendum censeo quae commentitiae quidem sunt itidem, ex alio tamen erroris genere ortae. Ibi igitur legimus, Ἀπόπημα, ατος, τὸ, Stercus. Quid hoc vocabuli est? (dicet quispiam paulo plus in lingua Graeca quàm illi, versatus) unde prodiit? Ego certè ejus originem subodorari mihi videor. Solent nostrae typographicae operae, quae compositorum nomine vulgò appellantur, syncopis plerunque uti, nonnunquam contrà reduplicationibus, dum in propositum sibi exemplar non satis intentos oculos habent. Credibile est igitur quempiam ex ἀποπάτημα per syncopen fecisse ἀπόπημα. Aliquem deinde ex illis Lexicorum interpolatoribus, incidentem in eum libri locum in quo ἀποπάτημα syncopen hanc passum erat, non arte grammatica, sed arte typographica, id est incuria ejus qui hanc artem profitebatur) & mutatum in ἀπόπημα, nihil tale suspicantem, & stercoris appellationes alioqui studiose colligentem, Lexicon suum statim adiisse, & quum hanc ibi non inveniret, diligenter addidisse. Earundem certè operarum (typographicarum inquam) opera aucta fuerunt illa Lexica plerisque vocibus, in quibus α pro ε ponere libuit: ac praesertim pro ε praepositionis ἐπὶ, in quibusdam compositis: habemus enim in illis Ἀπαναβαίνω,

ϐαίνω, Infcendo, perperam fcriptum pro Ἐπαναϐαίνω. & Ἀπανορθόω, Emendo, Corrigo: incorrectè certè fcriptum pro Ἐπανορθόω. & Ἀπαμφοτερίζω, Sum naturae ancipitis, nihilo certè emendatius fcriptum quàm praecedentia, pro Ἐπαμφοτερίζω. & Ἀπαρήγω, Juvo, nec non Ἀπαρωγὸς, Opitulator, mendofe pro Ἐπαρήγω, & Ἐπαρωγός. item Ἀπάρατος, Execrabilis, Execrandus, corruptè pro Ἐπάρατος. Ne autem putemus, huic tantùm voculae quae ex praepofitionum numero eft, illos fuum ε invidiffe, ideòque in α mutaffe: en tibi Ἀπασύρμενος (vel potius Ἀπασήμενος, ut genuina illorum fcriptura retineatur) pro Ἀπασύρμενος. item Ἀπαλαιώθη pro Ἐπαλαιώθη. & Ἀπαλλάξ pro Ἐπάλλαξ. necnon Ἀχίοναξ pro Ἀχίοναξ. Ut autem praepofitioni illi ἐπὶ fuum ε invidentes, in α mutarunt, fic & praepofitioni ἀπὸ fuum ο invidiffe videntur: quippe quod in α itidem mutandum cenfuerint in quibufdam compofitis: quorum unum eft Ἀπαρχέομαι. pro hoc enim ibi legitur Ἀπαρχέομαι, in eo quidem loco ubi poft Ἀπαρχελέω ponitur. Viciffim tamen alicubi irati literae α, eam fuis è fedibus extruferunt, & ο in eos impofuerunt: ut quum Ἀπομωίω pro Ἀπαμύνω fcripferunt. Sed quae literae aliae pro aliis (ut tandem finem dicendi de hoc erratorum genere faciam) in lexicis illis pofitae non fuerunt? Ibi eft Διατὸς pro Διαδὸς, & quidem exemplo etiam confirmatum fcilicet: διατὸς τὴν δίκην. Ibi legitur Ἀθηεόγλωσσος, cum η, manifefto quidem errore pro Ἀθυρόγλωσσος, fed cum expofitione

 ei

ei non conveniente. exponitur enim Eloquens. In iisdem extat Συνεχμάλωτος, quod itidem mendose scriptum esse liquet, pro Συναιχμάλωτος, sed operepraetium est animadvertere quantum auctus sit hic error, derivationem quae mendosae scripturae congrueret, comminiscendo. Postquam enim Συναιχμάλωτος expositum fuit Concaptivus: additur, ab ἔχμα, quod vinculum significat. Quum alioqui notissimum sit αἰχμάλωτος dici quasi αἰχμῇ ἁλωτὸς: & ab illo esse συναιχμάλωτος, praefixa praepositione σύν. Quid, quòd etiam ε quod ex incremento erat, praesenti, necnon verbali nomini datum fuit? veluti ubi Κατεσκευάζω dicitur significare Paro, Gero, Ædifico: & Κατεσκεύασμα, Ædificium. quum vel pueri sciant praesens seu thema esse Κατασκευάζω (unde κατεσκεύαζον & κατεσκεύακα &c.) & verbale itidem Κατασκεύασμα. Sed hoc tamen falsum thema multo propius abest à vero quàm alia quaedam quae in iisdem occurrunt: ut Ἐπαληθέω, ῶ, Fut. ήσω, Divagor, Oberro. ἐπαληθεὶς ἄστεα, Per urbes vagatus, errans. πλανηθεὶς, Jactatus, Hom. Multo, inquam, propius abest à vero illud thema Κατεσκευάζω quàm hoc, quum in illo una litera mutata verum thema efficiat: contrà autem non sine magna mutatione ex falso themate Ἐπαληθέω, facere possis verum Ἐπαλάομαι. Idem dicendum & de Διαπαρείημι, pro Διαπείρω, seu potius Διαπείρομαι. In iisdem enim Lexicis Διαπαρεὶς, Transfixus, Trajectus, dicitur esse à themate Διαπαρείημι: quum esse à Διαπείρομαι ii soli ignorare possint qui eadem qua illi Lexicorum consarcinatores,

igno-

ignorantia laborant. Idem denique dicendum & de participio Διαδεδρεμῦσα, cui dant thema Διαδρέσκω. Haec enim ibi habentur totidem verbis, Διαδιδρέσκω, ἀποδιδρέσκω, Diffugio, Aufugio, Evito, Effugio, Elabor, διαδεδρεμῦσα ζωεά, Decursa aetas, Politianus. διαδεδρεμούσης τῆς νυκτός, Nocte exacta. Haec autem tam foeda ignoratio thematum in his verbis, facit ut minus mirer eam quae ibi est, permistionem compositorum quae sunt à themate εἶμι, cum iis quibus thema est ἵημι. Adeo quidem ut etiam scriptum sit, Παρίημι videri duplicem habere derivationem: nimirum vel à παρὰ & εἶμι, vel à παρὰ & ἵημι: quum contrà ex παρὰ & εἶμι fiat πάρειμι, non παρίημι. Quàm boni autem thematum in quibusdam verbis, tam boni nominativorum in quibusdam nominibus fuerunt. Verùm ut ad commentitia verba revertar, in iisdem Lexicis inveniri dico Παραπλάσιος pro Πολλαπλάσιος, & Ἀπελίμπανος pro Ἀπολιμπανόμενος. Haec autem, sicut & praecedentia, aliaque quamplurima, non ita posita sunt ut errores typographici vocari possint, id est operarum typographicarum: quum habeantur seorsim, & suo in loco, sequendo ordinem alphabeticum: qui in illis non observaretur, nisi mendose ut scripta sunt, scriberentur. (quum tamen alioqui habentia alteram etiam scripturam alibi ponantur) Praeterea verò non in prioribus tantùm Lexicis haec verba, sed & in posterioribus, atque adeo in omnium novissimo legi sciendum est. Quo magis vereor ne haec, sicut & illa monstrosae cujusdam Formae composita, quorum antea memini, aliquando in meum etiam Thesaurum intrudantur. Sed magnam illi hac in re factum iri injuriam, haec saltem

epistola testabitur. Hoc certè affirmare possum, si omnia omnis generis errata quae ibi sunt, colligere velim, sicut praecedentia collegi, libro tantae molis quantae meus Thesaurus futurus est, haud comprehensum iri. Nam & loci scriptorum infideliter saepe citantur, infidelius autem exponuntur. Quin etiam ipsa eorum nomina interdum depravata sunt. Sed (quod multo majoris momenti est) verba quibus Graeci lexicographi ad vocabuli alicujus expositionem usi sunt, duas pluresve significationes habentibus, praepostere interpretantur, & in alium omnino sensum quàm ipsi intellexerint. Et quod foedius est, etiam Latinae Budaei expositiones saepe aut non fideliter descriptae, aut non suo loco positae, nec ei verbo datae cui eas ille tribuit. Ad locos infideliter citatos quod attinet, multis id modis fieri dico: interdum enim depravati afferuntur, nonnunquam perperam truncati, interdum duo in unum confusi. Truncati, ut in Ἐπιβάλλω, ex Plutar. Apophth. ὡς ἐπιβάλλοι τῇ βοιωταρχίᾳ &c. nam ut significatio pariter & constructio cognosci posset, addenda fuerunt haec verba, παρὰ τὸν νόμον τέσσαρας μῆνας. Duos autem locos in unum confusos habes in verbo Παραγγέλλω. ibi enim affertur ex Luciani Anacharside, ἡ δὲ παραγγελθεῖσα τούτοις δόξα ἐστὶ παντὸς ἀξία τοῖς νενικηκόσι, ἐνίους δὲ καὶ παραγγελθεῖν ἀναστρέψαντας. Haec enim ἐνίους δὲ, &c. hujus loci non sunt. Quum apud Lucianum post νενικηκόσι, sequantur haec verba, ὑπὲρ ἧς καὶ λακτίζεσθαι καλῶς ἔχει τοῖς θηρωμένοις τὴν εὔκλειαν ἐκ τῶν πόνων. οὐ γὰρ ἀπονητὶ προσγένοιτο ἂν αὕτη. ἀλλὰ χρὴ, &c. Quidam praeterea afferunt à re de qua agitur alieni omnino, & quibus nihil minus quàm ea significatio

aut constructio quae confirmanda est confirmatur: quum videlicet casus quem cum uno verbo jungi putant, jungatur cum altero. (Omitto verba Latina aut etiam loquendi genera quae ex probatis quidem aut etiam primariis Latinae linguae scriptoribus petita sunt, sed valde alium apud eos habentia usum, quàm sit is qui ipsis datur, ut respondere his vel illis Graecis vocabulis aut loquendi generibus possint) Quinetiam non unus invenitur locus ex quopiam Graeco scriptore allatus, in quo vox de qua agitur, & propter quam is affertur, illa ipsa desideratur. Peccatur autem & alio modo in proferendis autorum locis, quum nimirum mendosa lectio quae affertur, ea est cujus autoritate ad probandum quidpiam nituntur. Quod in locis Graecorum saepe contingit. ut in nomine Εὐδιαίρετος, dicitur eo significari Facilè scissilis, Citissimè penetrans, Pellucidus, Qui facilè aperitur, Qui facilè dividitur. Quibus additur, εὐδιαίρετος ἄνεμος, Xenoph. Ventus apertus. Extat autem is unde haec petitia sunt, locus, Hellen. libro 1. pag. 262. meae editionis, circa finem: verùm ibi εὐδιαίτερος non εὐδιαίρετος habetur. Ita enim legitur, Κόνων δὲ καθελκύσας τὰς ναῦς, ἐπεὶ οἵ τε πολέμιοι ἀποδεδράκεσαν, καὶ ὁ ἄνεμος εὐδιαίτερος ἦν, ἀπαντήσας τοῖς Ἀθηναίοις, &c. Fateor tamen quaedam exemplaria habere εὐδιαίρετος: sed qui vel minimo praeditus judicio fuisset, alteram illam lectionem sequendam esse, facilè animadvertisset: praesertim quum & multorum veterum exemplarium autoritate confirmetur, & easdem servet literas, alio tantùm ordine eas collocatas habens: quinetiam bene cum re de qua agitur conveniat, ut cujus manifestum esse potest, est enim ab εὔδια. Idem porro dicendum

& de isto Herodoti loco quem Lexica illa in nomine Εὐαγὴς proferunt, εὐαγεῖ πνεύματι χρησάμενος, pro Secundo vento usus. Nec enim dubium est quin veterum codicum lectionem sequi debeamus, in quibus εὐαεῖ habetur, ab εὐαὴς. quod est ab ἄω, significante Flo, Spiro. Locus est in Euterpe, εὐαέϊ πνεύματι χρησάμενος καὶ θαλάσσῃ λείῃ. Quod si hanc lectionem non haberemus, tunc aliqua fortasse ejusmodi interpretatio nominis εὐαγεῖ ibi excogitare posset, qualem attuli in Thesauro. Caeterum non in Graecorum tantùm scriptorum locis interdum lectiones mendosae afferuntur, & quidem mendosae in eo ipso vocabulo de quo agitur) sed in Latinorum quoque nonnullis; atque adeo commentitiae etiam fortasse. ut in Κῆπος novissima editio, postquam tradidit κῆπον esse etiam τὸ ἐφήβαιον τῶν γυναικῶν, Hesychio: pectinem, muliebremque pubem; inguina & verenda mulierum: (hic enim scilicet ostentandae erant Latinae linguae opes) Quibus subjungit apud Diogenem Laertium, Stilponem negare Minervam deum esse, quia foemina esset. Quem ita irrisisse Theodorum Cyrenaicum, πόθεν δὲ τοῦτ᾽ ἤδει Στίλπων; ἢ ἀνασύρας αὐτῆς τὸν κῆπον ἐθεάσατο; an retecta & sublata veste ejus hortum contemplatus est? his addit; Hortum enim in hac significatione honesta metaphora (ut & genitale arvum Virgilius) usurpavit Ovidius in Metamorphosi, Foemineos hortos in olentes vertere menthas Persephonae licuit. Atqui hoc in loco non vocem hortos, sed vocem artus praeter Aldinam editionem (quae emendatior est quàm alia cujusquam poetae ab eo profecta) aliae quae apud me sunt plurimae, necnon vetus exemplar scriptum, habent. Et seu quis lectionem

nem illam somniarit, seu ex codice quopiam sumpserit, non solùm foetidam hoc in loco, sed ab eo etiam alienam esse, nemo, nisi qui judicio careat, negarit: si quidem qua de re agatur, expenderit. Aliqua verò afferuntur ex autoribus, quae apud eos quidem inveniuntur, sed quòvis potius quàm eò pertinentia quò pertinere dicuntur, & in alium omnino sensum ab autoribus scripta. Cujus erroris & paulo antè mentionem obiter feci. Exemplum autem ejus habemus in vocabulo Αὐτόματος. quum enim Gell. in fine capitis 1, lib. 13. scripsisset, Quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, id multo antè Demosthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellavit. αὐτόματος enim θάνατος quasi naturalis & fatalis, nulla extrinsecus vi coactus venit. Quum, inquam, his verbis Gellius primum libri 13 caput clausisset, interpretationem hanc quae ab illo tribuitur nomini αὐτόματος juncto cum θάνατος, (quae vox mortem significat) vulg. lexicorum consarcinatores huic ipsi nomini tribuerunt, dicto de conviva. Allato enim hoc versu Homeri ex Iliad. β, Αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος, subjungitur: ἄκλητος: deinde, Quasi naturalis & fatalis, quique nulla extrinsecus vi coactus venit., autore Gellio. Quod erratum adeo monstrosum est (quis enim, nisi qui communi sensu omnino aut etiam sana mente destitutus sit, non animadvertat absurdè dici de conviva, cum esse naturalem & fatalem, & nulla vi extrinsecus coactum venire?) ut vix meis ipse oculis illud intuentibus credam. Nec verò contenti fuerunt, quos proferunt autorum locos modis omnibus depravare, decurtare & mutilare, duos in unum confundere, quae ab iis dicuntur in alium omnino usum convertere, aut in alium prorsus

sensum interpretari quàm eum quo scripta sunt: sed eo audaciae proruperunt, ut quaedam etiam illis auderent affingere. Cujus audaciae exemplum habemus in Ἀνέφικτος. Ibi enim affertur ex Lucianica Alc. ἀνέφικτος ἀνθρώποις ἐστὶν οὐρανός. quum tamen illa ibi non legantur, sed ista, ἐπεὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν πόσῳ τινὶ σώματος δοκεῖς εἶναι μείζω; φαίης ἄν, Χ. Τίς δ' ἀνθρώπων ὦ Σώκρατες δύναιτ' ἂν ἢ ὀνομάσαι τι τῶν τοιούτων; οὐδὲ γὰρ εἰπεῖν ἐφικτόν. haec autem verba quam pulchrè & quàm fideliter in illam epitomen redacta sint, vestrum esto judicium. Hic certè Lexici locus, ut multos alios ejusdem audaciae suspectos habeam, facit. Venio ad id quod multo majoris momenti esse dixi, nimirum ubi verba quibus Graeci lexicopraphi ad vocabuli alicujus expositionem usi sunt, binas pluresve significationes habentia, praepostere interpretantur, & in alium omnino sensum quàm illi intellexerint. Cujus errati exemplum habemus in Σύναινος, cujus antea mentionem feci, quum falsarum significationum exempla proferrem. In illis enim Σύναινος redditur, Laudis particeps. Unde autem orta est falsa ista interpretatio? Ex Hesychii expositione, cui σύναινος est ὁμόδοξος. Quum enim ὁμόδοξος (utpote à δόξα, quod non solùm opinionem seu sententiam significat, sed etiam gloriam) existimarent debere significare Laudis particeps, de altera illa nominis δόξα significatione nihil cogitantes, praeclaram illam interpretationem tribuerunt nomini σύναινος; quum alioqui debuissent interpretari, Qui ejusdem est opinionis, Qui idem sentit, Qui assentitur. sicut Συναινεῖν est Assentiri. Libet autem duo non minus insignia hujus erroris exempla proferre, à me annotata in verbo

Ἀστη-

Ἀνήκω. Ita enim ego ibi: Apud Thucydidem autem ἀνήκουσι vulgò exponitur Rediguntur, in hoc loco libr 3, εἰς τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσι. ubi tamen ſcholiaſt. exponit ἀνέρχονται. At Suidas, quum dicit ἀνήκουσι poni à Thucydide pro τελευτῶσι, λήγουσι, non dubito quin de illo ſimilive ejus loco intellexerit. Sed vulgarium lexicorum conſarcinatores, imperitiſſimi & ineptiſſimi, & ſtiva vel flagris potius digniſſimi homines, quum Suidas dicit τελευτῶσι, putarunt eum accipere pro τελευτῶσι τὸν βίον, Moriuntur, (non animadvertentes ſubjungi ab eo λήγουσι) atque ita ſcripſerunt, Ἀνήκουσι pro Decedunt, Moriuntur, apud Thucydidem. Itidem quum tradat Suidas à Demoſthene ἀνήκοντος ſumi pro διαφέροντος, ſcripſerunt illi Demoſthenem ἀνήκοντες pro Excellentes dixiſſe. (quaſi verò διαφέρειν ſignificet duntaxat Excellere) eum tamen Demoſthenis locum in exemplum attulerunt in quo ipſe Suidas ἀνήκοντες dicit ſignificare ἀνελθόντες. Is eſt quem antea citavi, τὸ μὲν ἐν τῷ λέγειν δυνάμεως οὐκ ἐπὶ τοσοῦτον ἀνήκοντες. Hactenus quae in Theſauro ſcripſi huc pertinentia. Foedius autem peccarunt in eo quòd plerumque ne Latinas quidem Budaei expoſitiones fideliter deſcripſerunt, nec ſuo loco poſuerunt, eique verbo non dederunt, cui ille eas tribuerat. Cujus peccati exemplum vobis ſuppeditabit vocabulum Ἀνυπόστατος. Ibì inter alia ſignificare dicitur Sedimentum, & Quod ex urina ſubſidit. Quae expoſitio ſumpta quidem eſt ex Budaeo, ſed eam tribuente nomini Ὑπόστημα, non autem nomini Ἀνυπόστατος, ut videbis Comm. pag. 497. editionis patris mei. quum enim Budaeus de Ὑπόστημα loqui cœpiſſet,

piſſet, dicens poni pro hypoſtaſi, & interjeciſſet aliqua de Ἀνυπόστατος, revertens ad nomen illud Ὑπόστημα, addidit, ſignificare etiam Sedimentum, & Quod ex urina ſubſidit. Sed fingamus, tale quid apud Budaeum aliumve legi de Ἀνυπόστατος, nonne hoc aut librario aut typographo imputandum eſſet? Quis non videat, ἀνυπόστατος, quod & adjectivum eſt, & præfixum habet α privativum, non poſſe Sedimentum ſignificare? Huic ſimilis commiſſus eſt error in voce Αὐλαῖον, & quidem in excerpenda ex Budaeo itidem expoſitione. Quum enim ſcripſiſſet in ſuo Lexico Budaeus, Αὐλὴ apud Athenaeum pag. 242. pro triclinio praegrandi, id eſt oeco, in quo nuptiae in regia celebrabantur: hodie ſallam dicimus. Quum inquam haec ibi ſcripſiſſet, & vocem Αὐλαία illi alteri proximè ſubjunxiſſet cum expoſ. Heſychii, quiſpiam ex conſarcinatoribus Lexicorum, cui aliquid inde excerpendi cura demandata erat, quae à Budaeo pro expoſitione nominis Αὐλὴ dicta erant, ad expoſitionem nominis Αὐλαία pertinere putavit, atque adeo ſuo judicio utens, huic non illi eam tribuit, ſed decurtatam: ut ibi videbis. Hoc autem inde contingit (nam & hoc craſſae ignorantiae ſpecimen ſilentio praetereundum non eſt) quòd Budaeus inter haec verba triclinio praegrandi, & illud OEco, interjeciſſet notam quandam habentem punctum duabus transverſis lineolis interclusum, qua ſignificabat Id eſt: ut certè pleriſque hic eſt ejus uſus. Verùm hoc à me velut obiter dictum eſto. libet autem, quandoquidem in mentionem hujus nominis αὐλαία incidi, quis praeterea circa ipſum commiſſus ſit error, admonere, alioſque item ejuſdem generis (licet diverſi à proximè praecedentibus) ei adjungere. Quum αὐλαία Graeci dicant foe-

foeminino genere, Latini autem Aulaeum potius neutro, (ficut in aliis plerifque vocibus quas hi ab illis mutuati funt, idem genus non retinuerunt) ideoque Bud. Annot. poft. in Pand. Latinis fcripfiffet literis pluralem numerum Aulaea, afferens alioqui & Curtii locum in quo aulaeam dixit) illi diverfas illas in diverfis linguis nominis hujus terminationes confundentes, fcripferunt, Αὐλαῖον, Stragula, Plagae, Velum picturis intertextis variegatum, παραπέτασμα, περίστρωμα, τάπης. quibus falfo nomen Budaei tanquam teftis fubjunxerunt. (Sed eadem opera addam quid miferae huic voci praeterea contigerit, licet alio errati genere, & potius referendo ad quandam eorum quae fuprà commemorata fuerunt, claffem. Quum fcripfiffet Hefychius, Αἱ ἀυλαῖαι, τὰ παραπετάσματα, fed fortè à typographo omiffus fuiffet apex fpiritus index, qui primae nominis ἀυλαῖα fyllabae fuperponendus erat, unam illi vocem ex nomine & ejus articulo ei praefixo facientes, Αἰαυλαῖαι fcripferunt, & expofuerunt, Opercula, παραπετάσματα) Ut porro in voce Αὐλαῖον peccatum eft ab iftis Lexicorum confarcinatoribus, in eo quòd vocabulum Graecum legi Latinae voluerunt fubjicere, fic & alibi idem feciffe comperiuntur. ut quum pro ἀσχέδαχα fcripferunt, ἀσχέδαχαι, volentes videlicet ἀσχέδαχαι convenire cum nomine Latino Haftae, quod foemininum eft: quum alioqui Graeci ἀσχέδαχα fcripferint, ad fuum nomen δόρατα, feu ὅπλα, quae neutra funt, accommodantes, & de Latina illa nihil penfi habentes: idque merito. (Neque tamen errore hoc contenti fuerunt, fed vocem alio infuper modo corruperunt, ἀσχέδαλαι pro fuo illo ἀσχέδαχαι fcribentes) Itidem, verò quum apud

apud Pollucem legatur θήειος αὐλὸς, nisi fortè θήρειος potius legendum existimemus) boni illi viri ex masculino θήειος fecerunt fœmininum θηεία, ut conveniret non cum αὐλὸς, sed cum Tibia, quod Latinis id sonat quod Graecis αὐλός. Imò verò gravius etiam peccarunt: quippe qui θηεία per se quoque significare tradiderint tibiam ex hinnulorum ossibus. Verumenimvero quanvis ego non singula errata, (quod & infiniti laboris esset, & librum immensae molis requireret) sed singulorum duntaxat generum, vel potius eorum quae in his sunt praecipua, paucula exempla colligere velim, vel horum numero me obrui sentio. Quare duobus duntaxat generibus praeterea enumeratis, finem huic tam molesto ac taedioso sermoni imponere statui, caetera aut alii, aut mihi ipsi in aliud tempus reservans: si tamen à magis seriis, quod huic rei impendere possim, supersit. Quinam igitur sunt lapsus illi? Activa pro passivis, & vicissim passiva pro activis plerisque in locis posita. Quanta enim licentia in hisce confundendis usi fuerint, vel inde patet quòd Graecis etiam lexicographis sua activa in passiva, aut passiva vicissim in activa commutaverint. In quodam autem loco cujus recordor, ulterius etiam progressa est illa sive licentia, sive vecordia. quum enim Hesychius scripsisset Ἐπιδικάζομαι, & exposuisset ἀντιποιοῦμαι, itidemque Suidas ἐπιδικάζεται exposuisset ἀντιποιεῖται, illi Ἐπιδικάζω activa, non passiva, voce scripserunt: deinde ut Hesychii & Suidae expositionem accommodare illi possent, vocem quoque quam ei adhibuerant, ex passiva activam fecerunt, scribentes ἀντιποιῶ. quasi verò ut passiva vox ποιοῦμαι multos usus sibi peculiares habet, ita etiam ejus com-

po-

posita suos non habeant, praesertim verò illud ἀντιποιῦμαι. Alterum autem errati genus de quo verbo facere institui, est earum vocum quarum scriptura aliquid dialecto cuipiam peculiare habet cum iis quae communis linguae sunt permistio. Contingit autem haec in iis potissimum quae ex dialecto Jonica petitae sunt, ut pote quarum major sit numerus. veluti quum μετιέναι quod est apud Herodotum pro μεθιέναι à μεθίημι (ex Jonicae linguae proprietate usurpantis tenuem τ pro aspirata θ) dicitur esse à μέτειμι. Sic quum διαφθέωνται, quod est Jonicè itidem scriptum pro διαφθῶνται, à themate διαφθεῦμαι, dicitur habere thema διαφθέω. Hic finem facturus eram, (ut modò pollicebar) nisi calamum è manu deponens, recordatus fuissem mendi cujusdam inter ridicula maximè ridiculi, inter inepta ineptissimi vel potius inter monstrosa monstrosissimi: de quo admoniti isti Lexicorum consarcinatores ac locupletatores, si & Metamorphosin Ovidianam locupletare velint, aliquid jam paratae materiae habebunt. Est enim in eo de quo loquor vocabulo mira quaedam facta Metamorphosis, ex ea videlicet parte orationis quae Verbum à grammaticis appellatur, in eam quae Nomen ab iisdem vocatur, nimirum ex Verbo Κυμαίνω, κυμαίνεις, in Nomen Κυμλῶα. Quoniam autem rem quae multorum fidem superatura sit, narrare me scio, totum locum in quo pulchram illam Metamorphosin habemus, proferendum censeo. Haec sunt igitur illorum verba, Κυμλῶα, vocabulum castrense, ad significandam militum seriem fluctuum instar gradientem. Arrianus in expeditione Alexandri, ἦγε βάδην, ὡς μὴ διασπασθλῶαί τι ἐν τῇ ξυμβατωτέρᾳ πορείᾳ κυμλῶαν τῆς φάλαγγος, ne

pha-

phalangis undatim incedens series aliqua ex parte divelleretur. Hanc fluctuantem seriem intelligit Virgilius in Georgicis, ubi, Ut saepe ingenti bello quum longa cohortes Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto, Directaeque acies ac lato fluctuat omnis Aere renidenti tellus. Atqui κύμηναν esse participium aoristi temporis à κυμαίνω, non autem nomen accus. casus, à nominativo κυμῆνα, vel haec docuisse debuerant quae à Budaeo traduntur in Graecae linguae commentarijs, Κυμαίνω, κυμαίνομαι. Plut. de acie fluctuante, τὸ δ' ὑφ' αὑτὸν στρατείας ἰδὼν τὸ πλεῖστον οὐκ ἀτρεμοῦν, ἀλλὰ κυμαῖνον ὑπ' ἀπειρίας καὶ θορυβούμενον. Affert exemplum & compositi verbi ἐκκυμαίνω, eandem habentis significationem apud Xenoph. ἀναβ. I. ὡς δὲ ἐξεκύμηνέ τι τῆς φάλαγγος τὸ ἐπιλειπόμενον, ἤρξατο δρόμῳ θεῖν. Quòd si itidem aut participio ἐκκυμῆναν, aut infinitivo ἐκκυμῆναι usus hic esset Xenophon, magnum certè & huic loco ab illis consarcinatoribus periculum impendebat, ne videlicet ei suum verbum itidem rapientes, in nomen ἐκκυμῆνα converterent. Sed quid ego hîc de consarcinatoribus loquor? praeclarae illius Metamorphosis totam laudem, quantacunque est, unus sibi consarcinator vendicat, is nimirum cui adscribitur novissimae editionis consarcinatio atque locupletatio. Ea inquam illi soli debetur, quam tamen ego paulo antè cum aliis eum communicare volui. Sed ignoscat mihi, rogo: non enim id à me malevolo animo & debita eum laude fraudandi cupido factum est, sed memoriae in colligendis tam multis hujuscemodi gemmis occupatae culpa. Quid si verò potius suum is erratum animadvertens (dicere autem supersedeo quàm bene

bene interpretatus sit vocem illam suam verbinominem, aut nominiverbem, ut in nova, barbaraque grammatica novis barbarisque verbis utar (ut sibi ignoscatur petat, ac dicat, si quidem in κυμαίνω aut aliud tempus servans ει incidisset, nequaquam se fuisse erraturum: sed illud κυμλῶαν in errorem eum impulisse, ob affinitatem quam cum forma nominis habet: quid illi respondendum fuerit? Ad me certè quod attinet, non habeo quid respondeam potius quàm Horatiana ista, (si modò unicam in uno ejus verbo literam immutare liceat) -- quod medicorum est Promittant medici: Nisi fortè gratius illi futurum est proverbium, Ne sutor ultra crepidam.

Ex hac (ut ita dicam) anatome vel minimae alioqui partis corporis tam vitiosi ac morbidi, de caeteris partibus judicium fieri posse existimo: & siqui mirati sunt antea Thesaurum ante multos annos à patre meo Roberto Stephano promissum, nondum prodiisse, futurum ut mirari desinant, quum totus velut à fundamentis construendus fuerit. Dignum enim scilicet sua existimatione opus, dignum superioribus laboribus, ac praesertim suo Latinae linguae Thesauro, edidisset, si Lexicon & ipse auctum duntaxat & locupletatum dedisset, aut etiam ementitum Thesauri nomen ei tribuisset: ut à quibusdam unum ex illis tam miserè corruptis ac vitiatis Lexicis inscriptum est Thesaurus, (quum debuissent addere vocem Carbones, utpote quod introspicientibus, verè comperiatur esse quod veteri proverbio objici solitum est, Thesaurus carbones) dignum inquam ea fide quae in variis ejus variorum librorum editionibus perspecta erat, edidisset tandem opus, si caeterorum more, non in emendandis vulgatis lexicis, sed duntaxat in locupletandis operam posuisset.

fuiſſet. Atqui hoc ipſum erat de quo potiſſimum querebatur : adeo ut quoties aliqua nova Lexici editio prodibat, aucti & locupletati, Semperne (diceret) veterem hanc cantilenam audiam? Nunquamne aliqua Lexici editio emendati etiam & correcti ſive repurgati prodibit? Ac profectò ab hac repurgatione initium ſumere olim ei in animo fuit, & tanquam veteres aedes inſtaurare ac reſarcire, dum novas aedificandi facultas eſſet: ſed poſtquam ibi Augiae ſtabulum eſſe, poſtquam omnia ruinam minari comperit, ſui illum incepti puduit pariter & poenituit. Parata autem jam bona materiae quae ad novum aedificium requirebatur parte, mors illud nobis invidit. in qua tamen hoc ipſum opus mihi commendavit. Quae quum ita ſint, nonne & à fidelitate paterna deſciviſſem ac degeneraſſem (cujus potiſſimùm haeredem ſe à me relinqui exiſtimavit, ut antea dixi) & privatim etiam fidem illi datam violaſſem, ejuſque manes laedere dictus meritò fuiſſem, ſi & ipſe Lexicon vulgatum, licet auctum, locupletatum, interpolatum, reconcinnantum, reconſarcinatum, emendatum denique paſſim & correctum, edidiſſem? Habetis viri chariſſimi cur à me haec opera minimè expectanda fuerit, & cur quidvis potius expectare debeatis. Sed quid de iis dicemus qui lexicis illis freti, ac tantumnon pro oraculis habentes ea quae in illis traduntur, interpretes agunt, & quidem librorum omnis generis? aut de illis qui hujuſmodi Lexicorum ductu & auſpiciis, provinciam Graecas profitendi literas ſuſcipiunt? Quid aliud hoc eſt, obſecro, quàm caecos caecis viam velle monſtrare? Et tamen haec ſunt hodie praecipua non paucorum interpretum & Graecae linguae profeſſorum arma, quibus ſcilicet adverſus quantumvis implicitos ſcriptorum Graecorum nodos

dos acriter dimicant. Et miramur, tam pueriles, tam ineptas, tam ridiculas, tam falſas prodire quotidie eorum interpretationes? Sed haec εἰδόσι λέγω.

Superest Ut eos metu liberem qui (uti dixi) quoniam vocabula in meo Theſauro longè alio quàm alphabetico ordine digeſta eſſe audierunt, quiſnam is eſſe poſſit, valde mirantur: ac, ne iis duntaxat qui in linguae Graecae cognitione velut veterani ſunt, (ut ita loquar) non item tyronibus labor meus utilis futurus ſit, verentur. Sciant igitur illi qui hoc timent, eam contrà quae in meo Theſauro habetur vocabulorum ſeriem, tantum commodi vel iis qui Græcam linguam diſcere incipiunt, afferre poſſe, quantum alphabeticus ille ordo affert incommodi. Hoc tamen ingenuè fateor, ſi initio, quum illa ſerie uti coepi, rem tot difficultatibus eſſe implicitam, quot poſtea ſum expertus, exiſtimaſſem, & fore ut nullus mihi quicquam ad eas auxilii afferret, neque ex priſcis neque ex iis qui eos ſequuti ſunt ad noſtra uſque tempora grammaticis, ſed futurum ut eas Marte meo perrumpere cogerer: quodvis onus potius quàm illud ſuſcepiſſem. Sed hac in re profectò, ſi alia in ulla, locum habet vetus proverbium, quod difficilia eſſe praedicat quae pulchra. Reddit enim ſeries illa multo ditiores (ut ita dicam) Graecae linguae divitias, & quae hactenus locupletiſſima foecundiſſimaque eſſe viſa eſt, facit ut multo etiam locupletior foecundiorque quàm credita ſit, comperiatur. Quemadmodum enim opulenta domus longè opulentior videbitur ſi in unum tota ſuppellex comportetur locum, quàm ſi diſperſa ſit: eademque hominum multitudo, major multo, quum conferti ſunt, quàm quum diſperſi, videtur:

ſic etiam vocabuli unius, tanquam ſtirpis, numeroſa propago & ſoboles minimè diſperſa divulſaque & in varios locos diſtracta, ſed in unum ita collecta, ut uno propemodum aſpectu contemplari univerſam poſſimus, multo certè numeroſior nobis videbitur. Quod autem ſtudioſorum linguae Graecae magis intereſt, ſeriem illam tyronum etiam ſtudiis eſſe perutilem, res equidem ipſa clamat: quum plerunque mutuas operas in ſeſe viciſſim velut exponendis tradant, quae ab eadem ſtirpe ortum habent vocabula, & interdum per varia quae derivata vocantur, tanquam per gradus quoſdam ad cognitionem ſignificationis vocabuli illius unde manarunt, aſcendamus. Sed tam multa ſine exemplis, fruſtra fortaſſe. ut igitur te non diu morans, ad illa veniam: en tibi in illis vulgatis Lexicis, Ἀείδω quidem (quod eſt Cano) in litera prima totius alphabeti: at vero ᾠδὴ, Cantus, & ᾠδὸς, Cantor, in litera ultima. Quinetiam inter illud verbum ᾄδω & verbale ejus ᾆσμα interjecta ſunt aliquot vocabulorum millia. Praeterea compoſitorum unumquodque ſeorſim poſitum eſt, diſperſa & ipſum ſua derivata habens. Duo vero magis etiam reprehenſione digna ſunt hac in parte: unum eſt, quod paſſiva vox ab activa ſemper ſejungitur, & quidem non parvo intervallo nonnunquam, multis aliis vocabulis (ut poſcit alphabeticus ordo) interjectis: alterum, quòd de uno eodemque verbo in diverſis agatur locis: nimirum non ſolùm in ejus praeſenti, ſed etiam in infinitivo. interdum verò & in diverſis temporibus, nimirum futuro, praeterito, aut alio: & quidem interjectis itidem aliquibus vocabulis. Exemplum autem habemus cùm in aliis pluribus verbis, tùm verò in Αἱρέω, ῶ. cum eo enim poſita non ſunt, ſed ſeorſum,

ſum, iſta omnia, Εἶλον, Ἕλον, Ἕλοιμι, Ἕλω, Ἑλέειν, Ἑλεῖν, Ἑλὼν, necnon Ἥρηκα: ſeorſum verò & paſſiva vos, Αἱρέομαι, ſejuncta habens & participia Αἱρεθεὶς atque Ἡρημένος. tantum abeſt ut verbalia ſuo verbo adjuncta ſint. Quinetiam quum unum idemque verbum ex Atticae quidem linguae conſuetudine in ττω derivetur, ex communi autem in σσω, (ut quidem tradunt grammatici, qui tamen aliquid his verbis addere debebant) nihilque ex diverſa terminatione mutetur ſignificatio: interdum tamen alio in loco, quod in σσω terminatum eſt, in alio, quod in ττω, collocant. Quinetiam (quod non minus quis miretur) interdum duobus in locis idem ponitur thema, prius quidem, contractionem non paſſum, poſtea verò contractum, aliis inter illa interjectis. ut in Θεωρέω & Θεωρῶ, factum eſſe vides. Verùm ſatius eſſe exiſtimo caetera quae his addenda forent, in ipſis Lexicis videnda relinquere, quum ea paſſim proſtent: & aliqua potius exempla ejus ſeriei qua me in meo Theſaurum uſum eſſe dixi, ſpectanda proponere.

En igitur ſeriem verbi Ἄδω, cujus mentionem initio feci, vel potius Ἀείδω quidem primum, deinveró Ἄδω.

ἈΕΊΔΩ,
Ἀοιδὴ,
Compoſ. Ἀοιδοπόλος,
Ἀοιδὸς,
Ἀοιδοσύνη,
Ἀοίδιμος,
Ἀοιδιάζω,
ἌΔΩ,
Ἆσμα,
Ἀσματοκάμπτης,
Ἀσματοποιὸς,

Ἀσμάτιον.

¶ Ὠδή,

Ὠδός,

Ὠδικός,

Ὠδικῶς,

Ὠδεῖον.

COMPOSITA.

C. ἈΝΤᾴδω,

Ἀντῳδή,

Ἀντῳδός.

C. ἈΠᾴδω,

Ἀπῳδός.

C. ΔΙᾴδω,

C. ἘΞᾴδω,

C. Ἐπᾴδω,

Ἔπασμα,

Ἐπῳδή,

Ἐπῴδιον,

Ἐπῳδός,

C.2. Κατεπᾴδω,

C.2. Συνεξᾴδω,

C. ΚΑΤᾴδω,

C. ΠΕΡΙᾴδω,

C. ΠΡΟΣᾴδω,

Προσῳδός,

Προσῳδία,

Προσῴδιον,

C. ΣΥΝᾴδω,

Συνῳδός,

Συνῳδία,

C. ὙΠᾴδω.

Ex compositis aliis quae non ex ᾄδω ſed ex ejus verbali deducta ſunt, Κιθαρῳδὸς & Κιθαρῳδέω, in Κιθάρα, ut Λυρῳδὸς & Λυρῳδέω in Λύρα, & Ὑμνῳδὸς atque Ὑμνῳδέω in Ὕμνος, itidem Μαγῳδὸς in Μάγος, & Μονῳδὸς ac Μονῳδέω & Μονῳδία, in Μόνος. Idemque in quaerendis caeteris quae hîc poſita non fuerunt, obſervandum erit. At Ἀσιωδὸς & Σπχῳδὸς habebis inter proximè ſequentia, poſt Ῥαψῳδῶ, & ejus derivata. Sequuntur autem caetera.

C. Παλινῳδέω, ῶ,
Παλινῳδία,
C. Παρῳδέω, ῶ,
Παρῳδὸς,
Παρῳδία,
Παρῳδικὸς,
C. Περιῳδέω, ῶ,
C. Ῥαψῳδέω, ῶ,
Ῥαψῳδὸς,
Ῥαψῳδία,
C.2. Ἀποῤῥαψῳδῶ,
C.2. Ἐπιῤῥαψῳδῶ,

C. Ῥαβδῳδοὶ pro ῥαψῳδοὶ, & ῥαβδῳδία pro ῥαψῳδία,
C. Στιχῳδὸς,
C. Ἀρνῳδὸς,
C. Πεζῳδικὸς,
ἈΗΔΩ´Ν, όνος, ἡ.
Ἀηδὼ, όος, & οῦς, ἡ.
Ἀηδονὶς, ίδος, ἡ,
Ἀηδονιδεὺς, έως, ὁ,
Ἀηδόνειος, ου, ὁ καὶ ἡ.

Huic verbo ſubjungam id quod ipſum in eodem Theſauro excipit, nimirum Ἅζω, id eſt verbi Ἅζω ſeriem. in qua ſequor eos grammaticos qui ἅγος ab eo deduxerunt; licet & ἄγος ſpiritu tenui ſcriptum inveniatur, ut ibi copioſe docui.

ἍΖΩ,
Ἅζομαι,
Ἅγος, εος, τὸ,
¶ Ἀγὴς, έος, ὁ & ἡ,
Ἀγίζω,
Ἀγιστεύω,
Ἀγιστεία,
C. Καθαγίζω,
C.2. Συγκαθαγίζω,

C. Ἐναγὴς,
Ἐναγῶς,
Ἐναγικὸς,
C. Ἀναγὴς,
C. Ἐναγίζω,
Ἐναγισμὸς,
C. Εὐαγὴς,
Εὐάγητος,
C. Παναγὴς,
C. Ἐξάγιστος.

ἍΓΙΟΣ,
C. Ἁγιόγραφος,
C. Πανάγιος,
Ἁγίως,
Ἁγιότης,
Ἁγιοσύνη,
& Ἁγιωσύνη,
Ἁγιόω, ῶ,
Ἁγιάζω,
Ἁγιασμός,
Ἁγιαστία,
Ἁγιαστήριον,
C. Καθαγιάζω,
ἉΓΝΟΣ,
C. Ἄναγνος,
C. Πάναγνος,
C. Ἁγνοπόλος,
Ἁγνὴς,
Ἁγνότης,
Ἁγνεὼν,
Ἁγνεύω,
Ἁγνεία,
Ἅγνευμα,
Ἁγνευτικῶς,
Ἁγνευτήριον,
Ἁγνίζω,
Ἁγνισμὸς,
Ἁγνιστικὸς;
Ἁγνιστήριον,
Ἁγνίτης,
C. Ἀφαγνίζω,
¶ Ἄγνος, ου, ὁ, Frutex, &c.

Et quoniam ut ſunt diverſae verborum naturae, ita etiam diverſa habent derivata, quae ſunt eorum velut ſoboles, proferam & alia exempla. Ecce igitur verbum Ἀγείρω cum univerſa ſua propagine & ſobole, aut certe bona ejus parte. fieri enim poteſt ut aliqua derivata me ſubterfugerint, ſed quae alibi addi poſſint.

ἈΓ-

Α'ΓΕΙ'ΡΩ,

Α'γερμὸς,
Α'γερέθω,
Η'γερέομαι, ἔομαι.
Ο'μηγερέες,
Α'γερόμθρ@,
Παλιτάγρετ@,
C. ΕΙ'Σαγείρω,
C. Ε'Παγείρω,
Ε'παγερσις,
C. ΣΥΝαγείρω,
Συναγερόμθρ@,
Α'ΓΟΡΑ'
Α'γορλώδε,
Α'γορῆθεν,
C. Α'γορανόμ@,
Α'γορανομία,
Α'γορανομικὸς,
Α'γορανομέω, ῶ,
¶ Α'γοραι@,
& Α'γόραι@,
Α'γοραίας,
¶ Α'γοράζω,
Α'γόρασμα,
Α'γορασμὸς,
Α'γόρασις,
Α'γορασία,
Α'γοραςὴς,
C. Ε'Ξαγοράζω,
C. ΠΡΟαγοράζω,
Α'γοραστίω,
¶ Α'γοράομαι, ῶμαι,
Α'γορητὴς,
Α'γορητὺς,
Α'γορητὸς,
¶ Α'γορεύω,
C. Α'ΝΑγορεύω,
Α'ναγόρευσις,
C. 2. Προσαναγορεύω,
C. Α'παγορεύω,
Α'παγόρευμα,
Α'παγόρευσις,
C. ΔΙαγορεύω,
C. Ε'Ξαγορεύω,
Ε'ξαγόρευσις,
C. ΚΑΤΑγορεύω,
Καταγόρευσις,
C. ΠΡΟαγορεύω,
Προαγόρευσις,
C. ΠΡΟΣαγορεύω,
Προσαγόρευσις,
Προσαγορευτικὸς,
C. 2. Α'ντιπροσαγορεύω,
C. ΣΥΝαγορεύω,
C. Υ'Παγορεύω,
Υ'παγόρευσις,
¶ Α'γορέω, ῶ,

C. Ἀπηγορέω, ῶ,
Ἀπηγόρημα,
C. ΚΑΤηγορέω, ῶ,
Κατηγόρημα,
Κατήγορος,
Κατηγορία,
Κατηγορικὸς,
C.2. Εὐκατηγόρητος,
C.2. Ἀντικατηγορέω, ῶ,
Ἀντικατηγορία,
C.2. Προσκατηγορέω, ῶ,
C.2. Συγκατηγορέω, ῶ,
C. ΠΑΡηγορέω, ῶ,
Παρηγόρημα,
Παρηγορητὴς,
C.2. Ἀπαρηγόρητος,
& Ἀπαρηγορήτως.
C.2. Δυσπαρηγόρητος,
& Δυσπαρηγορήτως,
Παρήγορος,
Εὐπαρηγόρως,
Παρηγορία.
Παρηγορικὸς.
C.2. Ἀντιπαρηγορέω, ῶ,
C. ΠΡΟΣηγορέω, ῶ,
Προσηγόρημα,
C.2. Ἀπροσηγόρητος,
Προσήγορος,
Προσηγορικὸς,
C.2. Ἀπροσήγορος,
C.2. Εὐπροσήγορος,
Εὐπροσηγορία,
C.2. Φιλοπροσήγορος,
C. ΣΥΝηγορέω, ῶ,
Συνήγορος,
Συνηγορία,
Συνηγορικὸς,

Hactenus composita cum praepositionibus: sequuntur caetera.

C. Ἀλληγορέω, ῶ,
Ἀλληγόρημα,
Ἀλληγορητὴς,
Ἀλληγορία,
Ἀλληγορικὸς,
C. Εὐηγορέω, ῶ,
Εὐήγορος,
Εὐηγορία,
C. Ἰσηγορέω, ῶ,
Ἰσηγορία,
C. Κακηγορέω, ῶ,
Κακήγορος,
Κακηγορία,
C. Μεγαληγορέω, ῶ,
Μεγαληγόρος,
Μεγαληγορία,
C. Ὑψηγόρης, vel Ὑψηγόρας, Ὑψηγορία.

Sunt

Sunt verò quaedam verba multo etiam opulentiora atque foecundiora, & admirabilem quandam derivatorum varietatem habentia: atque adeo tantam quae nonnisi multis paginis capi possit: ideoque nullum ex iis proferre libet. Caeterùm si quid vel à vobis, viri doctissimi, vel ab aliis reprehensione dignum in hac serie inveniatur, veniam me tribus nominibus consequuturum spero: primùm quòd hanc viam primus omnium ingrediar, & in ea (quum alioqui caeca sit & latebrosa, vereque flexuosa & anfractibus plena, ac non paucis erroribus implicita) mihi ipsi tamen dux esse cogar. Sed unde tibi tantum audaciae, ut vel de tentanda hujusmodi via cogitaris? Imò verò non audaciae id, sed credulitati potius tribuendum est. Magnam enim spem ostentabant de hac via mecum indaganda veteres grammatici: verùm eam spem prorsus esse vanam, magno meo malo comperi. Deinde veniam ideo mihi polliceor; quòd simul & in vocabulis hac serie collocandis, & in significationibus certo etiam quodam ordine disponendis laborandum fuerit. Nec enim ignoratis quanta earum in vulgatis Lexicis (ut falsas & commentitias omittam) perturbatio sit atque confusio: ut pote in quibus aut omnium rarissimae aut etiam metaphoricae significationi primus detur plerunque locus. Postremò, quòd ad typographicam clepsydram (ut alibi quoque loquutus sum) haec scribere (id est, scriptionem meam typographicarum operarum penso obnoxiam habere) cogar: & quod ab infinitis curis & occupationibus quas secum ars ista trahit, temporis superest, ne id quidem universum huic operi possim impendere, sed ejus partem in lectionem typographicam eorum quos interim excudo autorum (ex quibus nunc est Plutarchus)

chus)

chus) necesse habeam conferre. Haec, inquam, sunt propter quae futurum spero ut mihi & à vobis & ab aliis venia detur, & quidem non eorum duntaxat quae in illa serie, sed & eorum quae in ulla ejus operis parte peccaverim. Absit enim ut sibi quisquam persuadeat, ita me aliorum errata proferre, quasi ipse sim ἀναμάρτητος, & hominem me esse non meminerim, id est, eum cujus sit labi, errare, nescire, decipi. Imò verò me & colloco in hoc numero, & jam nunc, in meo opere esse in quibus lapsum me existimem, ingenuè fateor. Sed inter eos qui aliquando, & eos qui identidem ac subinde errant, discrimen statuendum esse dico. Quinetiam minimè dubium est quin varii sint erratorum in hoc etiam genere velut gradus: &, ut quædam veniam merentur, ita quædam flagris potius quàm venia digna censeri debeant. Illa porrò tot tamque foeda Lexicorum errata lectorem celare, praeterquam quòd religio mihi fuisset, utpote qui silentio meo falsam multorum de illis opinionem aucturus eram fortasse: tum verò, ne & ipse Lexicorum consarcinator existimarer, ea patefacere necesse habuisse videor. Quomodo enim quid inter meum & illorum opus discriminis sit, & cur velut à fundamentis construendum mihi fuerit Thesauri mei aedificium, ostendere potuissem, nisi qualis esset eorum structura ostendissem? Ut porrò eos in caeteris imitatus non sum, ita nec in praetereundis silentio eorum unde aliquid mutuatus sum nominibus. Non enim nomina veterum duntaxat scriptorùm & Graecae linguae autorum adscribo, ex quibus exempla loquutionum (ut vulgus vocat) à me petuntur: sed & interpretum, aut expositorum, aliorumve quicunque aliquid ad expositionem alicujus vocabuli pertinens

nens ſcripſerint, ſiquid ex iis in opus meum transferam.

ALTERA autem epiſtolae meae parte (aut certè altera mea epiſtola, ſiquis veſtrum tanta unius longitudine offendatur) quem à menſibus aliquot concepi moerorem de miſera veterum ſcriptorum ſorte ac conditione in quorundam typographorum prela incidentium, vobis exponere vel potius velut in ſinum veſtrum effundere ſtatui. Qua quidem ex re non minus ad vos quàm ad me commodi rediturum eſſe ſpero. Simul enim & me aliqua doloris mei parte exoneravero (qui alioqui incluſus ſtrangulat, ut aiebat Naſo) & vos cautiores, ni fallor, reddidero. Ego igitur olim quidem veterum ſcriptorum ſortem eo nomine deplorabam quòd in illotas (ut proverbiali utar verbo) manus multorum vel interpretum vel expoſitorum inciderent, qui ſua ſomnia illis deliriaque affingerent: at nunc eorum qui in quorundam typographorum prela incidunt, non minus, ſed potius magis deplorandam eſſe dico. Quorum verò? nimirum qui quum ſunt omnino literarum rudes, aut certè illis vix tincti, quaecunque ii quos pro doctis vel ipſi habent, vel ab aliis haberi vident, in caſtigando quopiam ſcriptore auſi fuerint (quid autem non audent nonnulli?) ea, tanquam oracula, in ipſa ejus ſcripta inferunt. Hinc enim factum eſt ut quum antea veterum libri iis tantùm mendis inquinati eſſe ſolerent quae ex antiquis exemplaribus manarant, aut certè typographicis, id eſt iis quae typographicae committunt operae, (cujus generis mendis & prope infinitis & monſtroſis pleriſque refertae erant Herodoti pariter & Thucydidis interpretationum editiones: quorum exempla etiam quaedam in calce Latini mei Herodoti habes) nunc ad illa duo mala pejus illis bonum

ac-

accedat. Quid istud verbi est? Hoc ego nomine voco castigationes quorundam, quae ejusmodi sunt ut multo mendis illis & periculosiores & perniciosiores judicari debeant. Castigationes, inquam, quae quum ex sola conjectura proficiscantur, (qua nihil fallacius esse scimus) extrusis tamen iis quae veterum codicum autoritate nituntur, (qualescunque ii sint) in earum locum quo jure quaque injuria intruduntur. Ac fuit quidem tempus quum in minus celebres duntaxat scriptores haec audacia grassaretur: sed tandem ne à primae quidem notae scriptoribus manus temperavit. Ecce enim Titum Livium ante aliquot annos multa hujusmodi castigationum vulnera (proh facinus) passum: ecce M. Tullium Ciceronem ante aliquot menses non paucioribus foedatum. (De Plinio taceo, quem sat norunt omnes omnibus omnium conjecturis, tanquam communem scopum, miserè fuisse expositum.) Tandem verò & in Graecos ita saeviri coeptum est, & quidem in nonnullos etiam quibus olim vel ipsi hostes pepercerant, & quos prae caeteris ipsa venerata erat antiquitas. Horum in numero est Euripides, in quem ego nuper nescio quid annotationum scribens, quum multis castigationibus vulneratum, multis conjecturis sauciatum eum fuisse, apertè ostenderim, totum illum locum huc proferendum censeo, & quidem altius repetitum. Ista sunt igitur quae huc pertinentia ibi scripsi.

Addam nunc, quidnam, praeter illa quae dixi, ad edendas hasce annotationes me impulerit. Incidi aliquando in quosdam locos Euripideae editionis quae prodiit ex Heruagii officina anno M. D. XXXVII, in quibus mirabar tam fideliter retineri potuisse omnia menda, & quidem etiam levissima, quae in

Aldi-

Aldina erant. Quod ego nimia quadam religione potius quàm ignorantia factum eſſe interpretabar: donec quoſdam locos offendi qui ſecus me id interpretari debuiſſe, apertè oſtenderunt. Ex iis autem fuit iſte in Helena, pag. 10. βαρὺ μὲν, οἰστέον δ᾽ ὅμως. nam quum Aldina editio habeat ὅμωι, quicunque illi editioni praefuit, à ſua illa religione (id eſt religioſa mendorum obſervatione) diſcedere auſus, pro ὅμωι repoſuit ὤμοι. id eſt, pro voce quae ita deprava erat ut cuivis obvia eſſe poſſet ejus emendatio, (quis enim, niſi ſit omnino obeſae naris, mendum quod huic loco ſubeſt non odoretur, & ὅμωι locum adverbii ὅμως hîc occupaſſe non animadvertat?) repoſuit aliam, quam & ipſam mendoſam eſſe maniſeſtiſſimum quidem ſit, ſed ita ut ejus emendatio non itidem in promptu cuivis eſſe poſſit. Verùm multo majorem ignorantiam mihi patefecerunt loci quidam in quibus ne legere quidem potuerunt quod Aldina editio habebat, ſed hanc notam compendiariam, aut certè huic ſimilem, τ̃, valere idem quod τὸν putarunt. id eſt, illud ignorarunt quod pueri qui alphabetum Graecum per menſem in manibus habuerunt, ſi ignorarent, flagris digni judicarentur. Et quoniam hujuſmodi lapſum incredibilem viſum iri ſcio, aliquot exempla proferre libet. En tibi igitur in Troadibus pagina 14, verſu 4, Πάρεις δ᾽ ἔγημε τ̃ Διός: quum aldina editio habeat τὴν Διός. En tibi in eadem tragoedia pagina 26, verſu 9, Πέρσαντε τὸν τεκοῦσαν, quum in Aldina editione legatur τὴν τεκοῦσαν. Quo exemplorum (tanquam teſtium) pari ſiquis contentus non eſt, adjiciam & aliud par, & quidem ex unica

pag.

pag. 30. depromptum: nam versu 1 legitur Ἥκω δὲ τὸν Λάκαιναν, quum Aldina editio habeat Ἥκω δὲ τῶν Λακαινᾶν. & versu 5, Οἵδε γὰρ αὐτὸν ἐξεμόχθησαν δορί, quum in Aldina sit Οἵδε γὰρ αὐτοῦ ἐξεμόχθησαν δορί. Quid dixi, par exemplorum? imo & tertium in hac ipsa pagina habes: videlicet versu 13, κομίζετ' αὐτὸν pro κομίζετ' αὐτήν. quod in Aldina legatur κομίζετ' αὐτοῦ. Dicerem autem eum qui huic editioni praefuit, aut eos qui praefuerunt, quòd audissent Euripidem μισογύνην fuisse, (id est osorem sexus muliebris) in ejus operibus & ipsos μισογυνίας suae specimen dare voluisse, genus foemininum tot in locis vertentes in masculinum: nisi in Plutarcho quoque talia contigisse animadvertissem, quae foedae ignorantiae duntaxat (nisi quis socordiam dare ei comitem velit) imputanda esse manifestum est. Itidem in ea opusculorum Plutarchi editione quae anno M. D. XLII. prodiit, sub Hieronymi Frobenii & Nicolai Episcopii typograph. nomine, foedissima errata contigerunt, non tantùm ex eo quòd intelligi scripta hujus autoris non potuerunt ab iis quibus editionis illius demandata cura erat, sed ex eo etiam quòd ne legi quidem ab iis nonnulli loci potuerunt in editione Aldina. Ut autem ne hîc quidem ἀμαρτύρως loqui dicar, en tibi in libello qui περὶ παίδων ἀγωγῆς inscribitur, quum Aldina editio habeat, pagina 9, versu 10, τόγε μὴν ἀέργητον ἀνδρός ἐστὶ σοφοῦ, compendium illud ἐστὶ quod valet ἐστὶ, putarunt boni illi viri valere δὲ: & hanc suam divinationem sequuti, hunc locum ita scriptum nobis exhibuerunt, pag. 8. illius editionis, v. 3. τόγε μὴν ἀόργητον, ἀνδρὸς δὲ σοφοῦ. In eadem illa pagina

(ne

(ne longè abeam) verſu 4 á fine, πᾶσιν ἀνθρώποις μισεῖσθαι ἄξιοι, ἐπὶ οὐδὲ μετρίοις δούλοις συγγνωστόν. ubi nemo non videt ἐπὶ minimè convenire. nec certè id Aldina editio habet, ſed δ, pag. 10. legitur enim ibi, δ' οὐδὲ μετρίοις δούλοις συγγνωστό. ſed compendium illud valens idem quod καὶ, docti illi viri valere ἐπὶ crediderunt, idque tanquam certiſſimum nobis in ipſo Plutarchi contextu propoſuerunt.

Sed ad Euripidem ut revertar, quum docuerim quomodo in illa priore editione Germanica acceptus fuerit, ſupereſt ut etiam quomodo poſterior eum acceperit, omnibus patefaciam: quae (ut verum fatear) multo etiam magis deſiderium edendi has annotationes mihi accendit. In ea enim tantae tamque perniciosae audaciae ſpecimen editum eſt, ut niſi ei fraena injiciantur, ſed in caeteros quoque ſcriptores graſſari itidem permittatur; meritò clamaturus ſit aliquis, de omnibus Graecis ſcriptoribus, deque univerſa lingua Graeca actum eſſe. Quum enim depravatis antiquorum ſcriptorum locis nonniſi cautè ac timidè atque adeo religioſè adhibenda remedia ſint, & quas ex conjectura habemus emendationes, id eſt dubias, pro certis afferre, eundemque illis dare locum quem merentur quae ex veteri quopiam exemplari proficiſcuntur, piaculare ſemper exiſtimatum ſit: ii contrà qui editioni illi praefuerunt, perinde acſi profananda Euripidis ſcripta & ſuae poſteritati magna ex parte intervertenda ſuſceperint, non illotis ſolùm, (ut eſt in proverbio) manibus, ſed penè dixerim ſacrilegis, ea tractarunt. Qua de re plura niſi productis teſtibus, id eſt exemplis, haud dicenda exiſtimavi.

Ad ea igitur ut veniam, en tibi in Rheſo pag. 2.

παῖς δ' Ἀγαμεμνονείαν προσίδοα στρατὸς
ἐννύχιος σὺν θορύβῳ σκηνάν.

Hîc παῖς mendoſum eſſe ſiquis non videt, is Tireſia caecior eſt. ſed è vicino peti poteſt emendatio. ex παῖς enim tollendo ι, habes πᾶς, germanam lectionem. Minimé igitur periculoſus fuit hic error in Aldina editione, ſicut nec in illa Germanica priore. At in poſteriore neſcio qui tanquam ad id quod vicinum & loco accommodatum erat, oculos claudentes, ad aliud remotum & à loco alienum eos converterunt, videlicet ad πρὸς: adjicienteſque θεός ad ſuam ἀμαθίαν, (ut & hîc verum eſſe experiamur quod dixit Thucyd.) non tanquam divinationem ſuam, ſeu conjecturam, margini adſcripſerunt, (quod tamen alioqui & de πᾶς faciendum fuiſſet, niſi veteris alicujus exemplaris conſenſus acceſſiſſet) ſed in ipſo textu colcarunt, ejectis verae lectionis veſtigiis, ſimulque copulativam particulam immerentem extruſerunt.

Itidem in Troadibus, pag. 44, editio Aldina habet, itemque Germanica prior; μέλας γὰρ δ' ὄσσε κατακαλύψει. quae lectio depravata quidem eſt, ſed ſine periculo; id eſt, ita ut haec depravatio nemini imponere queat. Quis enim eſt qui nullum hîc locum habere particulam δ', animadverſurus ſtatim non ſit? quotuſquiſque verò qui non ſit de reponendo σ cogitaturus? At poſterior editio mendum quidem ſubeſſe loco illi & ipſa deprehendit, ſed dum eum emendare voluit, id repoſuit quo occultius quidem, ſed periculoſius ille depravatur. Repoſuit enim δ' ὥστε, novum quoddam loquendi genus, (id eſt, quod novam

vam quandam barbariem habet) Euripidi affingens: ſic tamen ut tyronum oculos fallere haec depravatio multo facilius quàm illa poſſit. Nec vero mendoſiſſimam illam emendationem, & verè κακόμαντιν μαντείαν in margine annotarunt, ſed ea contextum ipſum polluerunt ac foedarunt.

In Bacchis, pag. 41, quum θήρα Ald. codex habeat pro θῆρα à nominativo θὴρ, ſignificante feram, illa editio augens itidem errorem, vel potius ex levi errore gravem faciens, pro θήρα repoſuit θήρα, tanquam à nominativo θήρα, quod eſt venatio.

Quid? quòd ne à Cyclope quidem (licet nobis deſcribatur monſtrum horrendum, ingens) manus editio illa abſtinuit? adeo non ſolùm τολμηρὸ, ſed παράτολμο fuit. Locus autem in quo manus ei attulit, eſt pag. 10, ubi legitur, --- -- ἔγωε τοῖς ξένοις τὰ χρήματα Περνάντα σ' εἶδον. hic enim pro ἔγωε reponi debere ἔγωγε, (quod valde vicinum eſt) quum manifeſtiſſimum eſſet, & vel ita emendari deberet hic locus, vel judicio lectoris relinqui emendatio, Aldinam illam lectionem interim retinendo, ac nullius conjecturae praejudicium (ut ita dicam) afferendo: contra certè, illorum qui hanc editionem architectati ſunt, θρασυάγνοια, emendationem ante pedes poſitam tranſiliens, aliam, ut è longinquo petitam, ſic longe ab hujus loci ſententia remotam, nobis protulit. Quid dico longè remotam? imò verò ei ex diametro repugnantem? nam pro ἔγωε repoſuit ἐγὼ οὐ, ut chorus neget quod affirmare illum ſequentia ſatis oſtendunt. alioqui enim nequaquam diceretur ψεύδεαι. Addam verò & alîus loci emendationem, quae vel ipſi Cyclo-

clopi inter graves illos dolores elicere risum posset. Is est in calce tragoediae. quum enim in ultimis hisce Cyclopis verbis,

> Α'νω δ' ἐπ' ὄχθον εἶμι, καίπερ ὢν τυφλὸς,
> Δι' ἀμφιτρῆτος τῆσδε προσβαίνων ποδὶ,

negotium facesseret vocabulum ἀμφιτρῆτος, in ἀμφιτρείτης id mutare editio illa non dubitavit, ut videlicet sicut naves pontigradae, sic & Cyclops pontigradus diceretur. At Brodæo quoque emendatio illa placuit. Placuisse ei fateor: sed ita placuisse ut in contextum reponendam eam censeret, hoc verò nego. Sed de hac Brodaei emendatione, aliisque nonnullis, dicam & paulo post. Nunc addo, me mirari quomodo tantum negotii exhibuerit illis vox ἀμφιτρῆτος, quum subaudiendum esse πέτρας, (cujus substantivi ἔλλειψιν quodammodo supplet pronomen demonstrativum τῆσδε) in mentem venire posset, consideranti ubi Cyclops esset: nihilo autem magis novum videri deberet ἀμφιτρῆτος πέτρας, quàm ἀμφιῤῥῶγος πέτρας.

Ne ipsa quidem Helene violentas atque adeo crudeles illorum manus effugit. Imò quànvis cecinerit meus Anacreon, Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον Καὶ πῦρ καλή τις οὖσα, illa autem non καλὴ tantùm, sed καλῶν καλλίστη fuerit, suum illi κάλλος nequaquam fuit Α'ντ' ἀσπίδων ἁπασῶν, Α'ντ' ἐγχέων ἁπάντων adversus eos. nam & ipsa ab illis vulnera passa est, & quidem atrocia, ac quorum nomine videri possit miseranda vel hosti, ut Latinus poeta loquutus est. Sed ego nunc ex multis unicum in apertum proferam, quod videlicet accepit

cepit pag. 30. quum enim ibi dicat Theonoe Helenae,

Ἥκει πόσις σοι Μενέλεως ὅδ᾽ ἐμφανὴς,
Νεῶν στερηθεὶς τοῦτε σοῦ τιμήματος,

deinde ad ipſum Menelaum ſermonem convertens, dicat (ut quidem in Aldina editione & illa priore Germanica legitur)

Ὦ τλῆμον, οἴκους διαφυγὼν, ἦλθες πόνους:

ut autem legitur in vetuſtis codicibus, & ut legendum eſt,

Ὦ τλῆμον, οἵους διαφυγὼν ἦλθες πόνους:

illi contrà nec οἴκους nec οἵους agnoſcere voluerunt ſed ita hunc locum ſcripſerunt, id eſt, ita depravarunt,

Ὦ τλῆμον, οὐ σοὺς διαφυγὼν ἦλθες πόνους.

At ſenſum minimè alienum à re de qua agitur, lectio iſta habet. Sit ita ſanè. quid? licetne nobis divinationes noſtras, licètne ſomnia noſtra in veterum ſcriptorum libros intrudere, ſimulatque habent aliquid eorum argumento conſonum? O miſeros ſcriptores, vel potius, ô miſera ſcripta tot excellentium poetarum, oratorum, hiſtoricorum, & aliorum, niſi fraenis, niſi catenis furioſa iſta audacia compeſcatur. Quid enim in illis ſalvum & incolume tandem manebit? quid integrum, quid impollutum poſteris noſtris relinquetur, ſi cuilibet quaecunque aſſequi non poteſt, ea mutare transformareque pro arbitrio conceditur? Sed de his alias plura. Ut autem ad tres illas lectiones redeam, Brodaeus οἴκους retinens, (quum videlicet alia lectio in mentem ei non veniret) hoc ex-

cogitavit effugium, ut πόνους acciperetur pro εἰς τοὺς πόνους. quae ejus licet violenta expositio, innoxia tamen est, utpote quae contextum nobis intactum relinquat. At expositio quam editionis illius autores afferunt, videlicet ista, Haud perfunctus tuis venisti huc laboribus, haec inquam expositio non se submittit textui, sed ipsum sibi, contra fas omne, submittens, in eo ex οἴκους facit οὐ σούς. Atqui si οἴκους relinquentes illi, annotassent in margine se non posse commodum ex hac lectione sensum elicere, non dubium est quin plerique post demorsos aliquantisper ungues, veram lectionem assequuti conjectura fuissent: at nunc, quum ea quae supersunt verae lectionis vestigia, prorsus nobis abolent, quis tam OEdipus esse potest ut eam ulla divinatione assequatur? Verùm superest ut de tertia lectione dicam, quae germana genuinaque est, & de qua dubitare vetera exemplaria non sinunt, è quibus deprompta est. Ea certè mihi in memoriam hunc nostri poetae versum revocat, Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Hujus enim verae lectionis, perquam simplex & expedita est expositio, prae caeterarum quae falsae sunt & supposititiae, expositione. Ut omittam, multo etiam majore cum gratia dici θαυμαστικῶς ista, οἴκους διαφυγὼν ἦλθες πόνους, tollendo videlicet interpunctionem post διαφυγών.

Tenes jam, lector, tenes quid me ad harum annotationum editionem praecipuè stimularit. si enim ego horum adversus Euripidem κακουργημάτων conscius, ea non patefecissem, nonne meritò judicatus fuissem συγκακουργεῖν? Quae tamen non ita dicuntur à me, quasi omnia aut etiam minimam eorum partem patefece-

fecerim, (abſit enim ut bonas horas in tam inauſpicato labore conſumam) ſed tanquam prohibituro ſaltem paucis hiſce eorum exemplis, nequem inſcium illa editio in fraudem impellat, in qua ἀντὶ τῶν εὐεργετηδείων tam multa ſunt ψευδευεργετήδεια. Quòd ſi probi minimeque ingrati diſcipuli eſt injuriam à praeceptore ſuo modis omnibus propulſare, quid de nobis dicendum erit, ſi eos qui antiquis ſcriptoribus, non ſolum noſtris, ſed & praeceptorum noſtrorum praeceptoribus, tam crudelia vulnera infligunt, impunè abire ſinemus? Sed de his hactenus.

Haec ſunt viri chariſſ. quae ibi totidem verbis à me ſcripta extant. Atenim quinam huic malo viam patefecerunt, niſi illiterati quidam typographi, qui quum vix aliud in libris quàm paginam albam à nigra norint diſcernere, omnibus omnium nugis (ne quid acerbius dicam) dummodo novae ſint, prela ſua ſuamque induſtriam offerunt.

Accedit autem recens hoc mali genus ad aliud quoddam jam inveteratum: quod tamen quum in dies ingraveſcere videamus, quid aliud à duobus hiſce malis (quae meritò duas lues ac peſtes vocare poſſumus) expectandum nobis quàm veterum ſcriptorum miſeranda deformitas? Inveteratum autem appello malum, quod ſtatim poſt primas ſcriptorum Latinorum praeſertim typographicas editiones, id eſt quae à primis prodierant typographis, graſſari in eos coepit. Quum enim quotidie vetera eorum exemplaria è tenebris emergerent, quidam cum his excuſa conferebant, qui quaſcunque diverſas lectiones invenerant, totidem caſtigationes eſſe credentes, mox cuipiam typographo tradebant, à quo paucis poſt diebus aut menſibus nova prodibat editio, veterum exemplarium ope

 lon-

longè caeteris castigatior, ut quidem titulus pollicebatur, vel potius mentiebatur. Quota quaeque enim ex iis, si verè loquendum fuisset, non potius caeteris depravatior dici debuisset? Atqui lectiones illae diversae ex veteribus libris sumptae erant. Fateor: sed heus tu, unde nisi ex vetustis itidem libris sumptae erant illae quas nunc indicta causa expellis? Insigne autem hujus temeritatis exemplum in Ovidii poematis habemus, quae post Aldinam editionem prodierunt. quum enim passim in bibliothecis vetera poematum illius exemplaria extarent, nominatim verò in quibusdam Parisiensibus, praesertimque in ea quam abbatia S. Victoris habet, multi certatim exemplaria illa inter se conferebant, certatim diversas lectiones annotabant, certatim in locum Aldinarum substituebant, certatim, ut nova editio his insignita prodiret, operam dabant. Hoc verò quid aliud erat quàm certatim ad foedanda tam pulchra poemata contendere? quum paucissima extare horum poematum exemplaria cum iis quibus Aldus usus est, comparanda, ejus editio cum iis quae ab illa desciverunt, collata, apertè indicet? Quod certè vel illa qua Tibulli mortem deflet elegia, luculentè testari potest. Quamobrem ab exemplis inde petitis initium sumam. Sic igitur ibi Aldina editio,

Quum rapiant mala fata bonos, (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare deos.

At verò in multis quae ab illa desciverunt, veterum quorundam exemplarium lectionem sequentia, scriptum est,

Quum rapiant malè facta bonos, &c.

Atqui lectionem illam, non hanc, convenire lo[co], luce cl[ar]ius est. Sed in sequente disticho foedius et[iam] mul-

multo, id est foediore ignorantia, peccatum est. Quum enim in Aldino exemplari legatur, (ut & legi debere manifestum est)

Vive pius, moriere tamen: cole sacra, colentem
Mors tamen à templis in cava busta trahet:

in maxima posteriorum editionum parte diversam lectionem habemus, planè absurdam,

Vive tamen moriture pius: cole sacra, colentem
Mors gravis à templis in cava busta trahet.

In fine autem elegiae hic versus,

Auxisti numeros culte Tibulle pios,

ita mutatus fuit in posterioribus editionibus,

Hausisti numeros culte Tibulle pios.

Apud eundem poetam Amorum libro 3, elegia 4, quum ita scriptum sit in editione Aldina, & ita scribi debeat,

Indignere licet, invat inconcessa voluptas:

mutatus tamen ita fuit hic versus,

Indulgere licet, juvat inconcessa voluptas.

Libro autem 3 De tristibus, eleg. 4, pulcherrimus locus foedissimè depravatus est in editionibus Aldina posterioribus. Postquam enim Ovidius amico cuidam ad quem scribit, hoc consilium dedit,

Usibus edocto si quidquam credis amico,
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes praelustria vita,
Saevum praelustri fulmen ab arce venit,

hanc sui consilii rationem affert,

Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosit potius quisquis obesse potest.

hanc inquam consilii sui rationem affert, sequendo Aldinae editionis lectionem, cum qua non solùm ita fluit versus ut Ovidio dignus sit, sed & sententiam habemus loco convenientem, & proverbio etiam illi (ad quod meritò dici possit allusisse) Procul à Jove, & procul à fulmine. Non dubium est enim quin itidem suadeat Naso, carere potius commodis quae ex consuetudine principum percipi possunt, quàm, eam sectando, obnoxium esse mille periculis quae illam comitantur. Et tamen caeterae editiones magis adversus hanc lectionem quàm ullam aliam conspirasse videntur, eam dico quae in postremo versu extat. Ita enim plures quàm duodecim quas consului,

Non prosunt, potius plurimum obesse solent.

quae lectio praeterquam quòd minimè convenientem loco habet sententiam (quid enim magis frigidum est quàm hoc dictum? Consuetudinem seu commercium cum potentibus vita: quoniam quanvis prodesse possint, tamen non prosunt, sed potius plurimum obesse solent) durissimum etiam versum, & ne durissimo quidem poeta, nedum Nasone, dignum efficit versum.

In epistola autem Hypermnestrae ad Lynceum, circa finem, legimus in eadem illa editione Aldina,

Quid fiet sonti, quum rea laudis agar?

Hac ex lectione sententiam elicimus quae rei de qua agitur, vel maximè quadrat. diciturque ea forma qua apud Terentium, Nam si illum objurges vitae qui auxilium tulit, Quid facias illi qui dederit damnum, aut malum? Posteriores tamen editiones ita mutarunt hunc versum,

Quid fiet sonti, quum rea mortis agar?

Lyn-

Lyncei autem nomen revocat mihi in memoriam mendum Metamorph. lib. I. commissum in multis eorum quae post Aldinam luci datae sunt editionibus, quum enim ita scriptum sit in illa,

Consitaque arboribus Lyrcea reliquerat arva,

& scribendum ita esse, cum ex aliis, tum verò ex Strabone & Statio constet: desciscentes tamen hîc ab Aldo plerique typographi, & lectionem cujuspiam exemplaris ei praeferentes, (praesertim quum illud Lyrcea durum auribus eorum esset,) in Lycea, quidam & in Lycaea mutaverunt.

Sed quid non putemus quo jure quaque injuria mutatum ab illis esse, qui Aldinam editionem nescio quibus exemplaribus posthabuerunt? in iis quoque locis ubi cum ea lectione versus stare nequit? Cujus etiam ignorantiae exempla proferam. En igitur Amorum lib. 3, eleg. 3, initio,

Esse deos credamne? fidem jurata fefellit.

Ita quidem Aldina editio, versu optimè stante: at verò aliae multae quae postea prodierunt, hanc lectionem illi praetulerunt, claudicante versu,

Esse deos credam? fidem jurata fefellit.

Adeo quidem ut meminerim me in quosdam olim incidere, qui hujus versus autoritate probare vellent Nasonem nomen Fides producta etiam prima protulisse, sicut & Fidus. Poterant verò iidem editionum earundem autoritate probare, verbum Tuli priore longa apud eundem poetam legi. quum enim Aldina editio ita, initio elegiae 10, lib. 3. Amorum,

Multa diuque tuli, vitiis patientia victa est,

illae

illae particulam Que, tanquam ſuperuacaneam, detrahentes, ita legendum nobis eum verſum dederunt,

Multa diu tuli, vitiis patientia victa eſt.

Quinetiam Nutantia primam correptam habet in carmine ad Liviam, (cujuſcunque id ſit) ſi eaſdem illas teſtes adhibemus, habent enim,

Lumina caerulea jam jamque nutantia morte.

quum habeat Aldina,

Lumina caerulea jam jamque natantia morte,

Addam his & aliud mendum circa ſyllabicam itidem quantitatem commiſſum, quod non minus quis, ſed multo etiam magis fortaſſe admiretur nimirum lib. 3 Amorum, eleg. 4,

Quid tibi formoſa ſi non niſi caſta placebat.

Ita enim legitur hic verſus in editionibus quæ mihi dum hæc ſcribo, ad manum ſunt, nimirum in editione Colinæi, in tribus Lugdunenſibus, in Hervagiana, quæ adjunctos habet commentarios. Sed fateor illas hîc quidem fideliter Aldinam eſſe ſequutas: quæ & alibi ſimile omnino mendum habet: nimirum 2 Am. el. 19,

Quid mihi fortuna quae nunquam fallere poſſit?

Meritò autem de illarum editionum typographis queri poſſumus & eo nomine, quòd quum ex vetuſtis codicibus quæ mala & mendoſa erant acciperent, ſiquid in iiſdem boni erat, negligebant: atque

que adeo versus qui in Aldina editione desunt. ut in epistola Didûs ad Æneam,

Uror, ut inducto ceratae sulphure tedae.
AEneam animo noxque diesque refert.

habent enim duos præterea versus non pauci veteres libri, in quibus ita hic locus legitur,

Uror ut inducto ceratae sulphure tedae,
Ut pia fumosis addita thura focis.
AEneasque oculis semper vigilantibus haeret,
AEnean animo noxque diesque refert.

(magis enim mihi placet Ænean, quàm Æneamque scribere: quòd particula Que ad fulciendum labentem versum addita videatur à nonnullis) Fateor alioqui esse & nonnullos quos non itidem addendos ex eorum autoritate censuerim. ut in epistola Paridis ad Helenam, ubi vulgatae editiones habent,

Dii facerent, pretium magni certaminis esses,
Teque suo posset victor habere thoro:
Ut tulit Hippomenes Schoeneida praemia cursus,
Quae propero cursu vicerat ante procos.
Ut ferus Alcides Acheloïa cornua fregit,
Dum petit amplexus Deianira tuos.

quidam enim veteres libri duos hosce versus interiectos habent inter quartum & quintum,

Sic & tu Phrygias venies regina per urbes,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus.

Atqui non cohaerere cum praecedentibus & sequentibus hos versus, vel hoc indicat, quòd optantis in iis sit oratio, at in duobus illis versibus de eo quod fiet agatur. Sed multo etiam magis digni sunt qui reiiciantur, duo versus qui in Phædræ ad Hippolytum

tum epiſtola ex veteribus quibuſdam libris itidem adduntur. nam quum ita legatur in vulgatis editionibus,

Iſta vetus pietas, aevo moritura futuro,
Ruſtica Saturno regna tenente fuit.
Juppiter eſſe pium ſtatuit quodcunque juvaret.
Et fas omne facit fratre marita ſoror.

quum, inquam, in iis ita legatur: in quibuſdam vetuſtis exemplaribus extant duo iſti perquam inſulſi illepidique & inepti verſus, inter ſecundum & tertium.

Saturnus periit, perierunt & ſua jura:
Sub Jove nunc mundus: juſſa ſequare Jovis.

Ex his patere jam vobis poteſt quale ſit illud alterum mali genus quod inueteratum eſſe dico: ſed quam ingraveſcat in dies, ii demum cognoſcent quibus editiones quae quotidie in lucem prodeunt, cum ſuperioribus conferre grave non fuerit. Atque haec ſunt quae de duobus malorum generibus, quorum fautrix & altrix eſt typographorum ignorantia, dicenda, vos monendi cauſa & cautiores reddendi, exiſtimavi. De duobus, inquam, quae ut omnium maximè ſunt perniciosa, ſic viciſſim minimè omnium perſpecta ſunt atque explorata. Ac certè illa ſunt quae potiſſimùm ſignificare volui verſibus iſtis, quos habet à me nuperrimè ſcripta Querimonia typographicae artis.

Turba quidem (fateor) me multa profeſſa magiſtram,
In ſcripta illorum perpetrat omne nefas:
Atque manu illota quae ſunt ſacrata profanat,
Quam vel ſacrilegam dicere jure queas.

Sed

Sed praeter illa omnia quae ignorantia typographorum ac typographarum (hoc enim ad cumulandam hujus artis ignominiam reſtabat, ut etiam mulierculae eam profiterentur) jam inuexit mala, quis non in dies nova expectanda putet? Mihi certè, cujus alioqui & aures audiendis & oculi videndis infinitis quae ab illa proficiſcuntur malis aſſueverunt, novum tamen nuper ſe obtulit ſpectaculum: nimirum interpretationes quorundam libellorum Plutarchi in Budaeicarum locum ſubſtitutae. Itane verò libris praeceptorum libros diſcipulorum anteponi? non eorum quidem certè de quibus dictum eſt, Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, ſed ejuſmodi quibus nimis etiam fortaſſe honorificum eſt hoc nomen. Sic quorundam Xenophontis librorum interpretationibus ſucceſſerunt aliae nuper, χάλκεια χρυσείων. Verum quid facerent miſeri typographi, qui quum de rebus hiſce non magis quàm caeci de coloribus judicare queant, ſiquis de habendo delectu eorum quae editionem alicujus ſcriptoris inſignire poſſunt, habeatur ſermo, non aures ad eum (hoc enim non aliud eſt quàm ὄνου λύρας ἀκούειν) ſed crumenam aperiunt: & poſtquam ab hominibus quibus non tam eſt emuncta naris, quàm emungendi perita manus, audiverunt afferri à ſe novi aliquid quod editionem illam de qua agitur, valde commendabit, non ſolùm omnibus quae ab iis dicuntur, creduli ſunt, ſed etiam perſuadere aliis ea volunt in quae alienam fidem vel potius ſub aliena fide ſuam interponunt: dum non ſuis ſed aliorum verbis, (quae tanquam pſittaci non intellecta balbutiunt) in iis quas libris praefigunt epiſtolis modo non montes aureos pollicentur. Alioqui certè non dubito quin ex eorum numero pluri-

mi

mi ſint qui, ſi ea quae ibi mentiuntur intelligerent, ſuam hanc artem cum quovis diſpendio deſinere, eaque ſeſe velut abdicare mallent, quàm cogi ſub alienis verbis, & quidem minimè intellectis, verba emptoribus dare, & ſub aliena (uti dixi) fide ſuam interponendo, infideliſſimè cum illis agere.

Verumenimuero ad eorum ignorantiam plerumque accedit avaritia, (malum in arte typographica magis quàm in alia ulla formidandum) & quidem cui illam ipſam cujus eos pudere deberet ignorantiam prætexunt. Dum enim ignorare ſe dicunt quid utilitatis editioni ſuae afferre poſſit impenſa in hoc vel illud opera, quis ex recognitione aut ex variorum exemplarium collatione ad literarum ſtudioſos rediturus ſit fructus, lubenter ſumptibus parcunt, & ſuam interim editionem iis quae requirit adminiculis fraudant: illud in ore ſemper habentes, Non minoris propterea vaeniet. Sed quid de veterum exemplarium inter ſe collatione loquor? Imò in deligendo etiam typographico exemplari quod in ſua editione ſequantur, nummis belli quidam typographi parcunt: ideoque quod primum in illorum manus incidit, ſi eſt Aldino aut alio quopiam vilius, eo contenti ſunt. Fateor tamen eſſe aliquos qui ne hoc quidem norint, quid ab Aldo, quid ab aliis petere debeant. Quod ne valde mirer, facit quidam, qui, dum in quodam opere meo ingenioſus eſſe voluit, nimirùm in mea Xenophontis editione, oſtendit ſe cum alia multa multis etiam pueris nota, ignorare, tùm verò Xenophontem ex Veneta Aldi officina, & ex Florentina haeredum Philippi Iuntæ prodiiſſe. Sed quid tum? (dicet quiſpiam) quid hujus rei ignoratio afferre damni potuit? Imò verò illius ignorationis dat illi poenas Xenophon in illa quae ad meam

efficta est (licet id dissimuletur) editione. Nam quum ego in mea non solùm multos veteres codices, sed etiam omnes undique conquisitas editiones typographicas, Aldinam, Florentinam, Germanicas aliquot: in quibusdam verò libellis & Parisinam, necnon Conplutensem, quandam item quae ex officina Anshelmiana prodiit in consilium adhibuissem, bonus ille vir, qui quum Germanicas tantùm viderit, caeterarum nomen ne fando quidem audierit, omnes tamen se vidisse putat, (quod perinde est ac siquis visis tribus aut quatuor Germaniae oppidulis, omnes se Germaniae urbes peragrasse jactaret) tyrannicam quandam in meum Xenophontem censuram agit, dum illius textum multis lectionibus alioqui commodissimis spoliat, quoniam in nullis codicibus extant, ut ille inquit. Siccine (quaeso) hujus rei ignoratio in Xenophontis immerentis caput redundare debuit? ut omittam alia vulnera quae ignorantia & inscitia illi ibidem inflixit. Atqui facilè per literas consuli de singulis potuissem, ne indicta causa damnarentur lectiones illae: praesertim verò interrogari annon solae Germanicae editiones ante meam prodiissent, & qui eas vidisset, visas sibi esse omnes, jactare posset. Ego certè tunc Xenophontis mei causam agi, aut etiam (ut ita dicam) de Xenophontis mei capite agi intelligens, non tantùm lubentissimè rescripsissem quae editiones comprehenderentur voce Omnes, sed non credenti inspiciendi etiam copiam fecissem, missis qui eas ad illum perferrent, antequam in nobilem illum scriptorem aliquid secus statuerer. Passus est autem in eadem illa editione ad meam effcta, quaedam etiam nova vulnera, uti dixi: tantum abest ut iis quae aliis sananda relinqueram, (hoc enim ingenuè fateor) medicina fuerit adhibita.

Hanc etiam querimoniam, viri chariſſimi, lubenter tanquam in ſinum veſtrum effudi: quòd Xenophontem, olim amorem deliciaſque Muſarum ſupra quoſvis alios exiſtimatum, à vobis itidem unice amari, & veſtras eſſe delicias intelligam. Fateor interim, me ad haec ſpectacula quiddam humanitus pati, quum nimirum editiones quae ad meas ſeu ex meis effictae ſunt, tam miſerè depravatas conſpicor. (idem enim & meae Pindari editioni contigit: & in idem diſcriminis Herodoteam quoque & Thucydideam venire ſcio) Nec tamen propterea quicquam de ſolita diligentia remitto, ſed quo pede coepi pergo, in veſtram aliorumque veſtri ſimilium, in omnium denique literatorum, atque adeo in ipſarum literarum gratiam. Vires autem animo pares vos ut mihi à Deo Opt. Max. precemini, etiam atque etiam precor. Valete. Mitto cum hac epiſtolá poema nuper à me ſcriptum, in quo habetur Artis typographicae querimonia, unde ſunt quatuor ii verſus quos paulo antè protuli. Ei autem adjuncta ſunt doctorum quorundam typographorum epitaphia. Valete iterum. Ex typographeio meo, ſeu typographica mea Officina. Anno M. D. LXIX, Cal. Martiis.

HENRICUS STEPHANUS
JOACHIMO CAMERARIO S. P. D.

QUanvis epiſtolae quam ad quoſdam amicos ſcripſi, partem tibi vendices amiciſſime Joachime vel maximam, te tamen & peculiari dignari ſi non epiſtola, epiſtolio certè, officii eſſe mei exiſtimavi. Praeſertim quum tuo mihi patrocinio opus eſſe intelligerem (hoc enim praecepi, atque animo mecum

antè

antè peregi) adversus eos quibus multa quae in ea scripsi, odiosa fore scio: eo quidem certè pacto quo veritatem odium parere, dixit olim Terentius. Quid enim attinebat (inquient) quorundam typographorum ignorantiam detegere ac traducere? quid attinebat tam monstrosos vulgarium Lexicorum errores tanquam in theatrum producere? Verùm quid hoc fuerit aliud quàm dicere, Quid attinebat literarum studiosos, unde sibi cavere debeant admonere, & imminens illis periculum ostendere? ut alias omittam rationes à me in altera epistola commemoratas, quae ad eos Lexicorum errores patefaciendos impulerunt: ut etiam omittam, miserum typographiae statum, ab eo qui typographus non esset, vix potuisse cognosci, nedum describi) Sed quid ego haec tibi, quem mihi multo quam meipsum melius posse patrocinari scio? Quod ut facias, etiam atque etiam te rogo. Attexui autem huic epistolae catalogum quendam, quem alteri attexere oblitus eram. At librorum meorum indicem cum illa accipies: ad quem pertinent isti quos tibi privatim mittam jambi.

EST nundinatrix turba passim plurima,
Quae curiosa curiose me rogat,
Ecquid novi das nundinis his proximis?
Si dico. Nil do, polliceri me volunt
Ad nundinas quae proximis sunt proximae.
Si polliceri nolo tunc expostulant,
Francfordienses nundinas quod negligam
Obstrictus illis scilicet tanquam forem.
Istos relinquo: literis mox obruor
Italis ab oris, Gallicis, & Anglicis,
Germanicisque, quae novi quid moliar,
Aggressus aut quid sim, quid aggredi parem,

Futurus ordo quis laborum sit rogant.
Et plura rebus scire de meis avent,
Quàm scire, vates ipsemet ni sim, queam.
Habent sed istud proprium Germanicae.
Suas subinde nundinas quòd allegant,
Et esse credunt debitorem nundinis.
Harum quis usus literarum est omnium?
Nempe, admovere dum mihi calcar volunt,
Fraeno morentur ut retracto me velut.
Nam scriptitandis quod vicissim literis
Impendo quanvis illibenter temporis,
Hoc illa possent opera maturarier,
Properare quae suadent, adhortantur, petunt.
Huic ut mederer non levi tandem malo,
Quicquid vel ante nundinis illis dedi,
Brevi aut daturus sum, favente numine,
Id omne chartis comprehendi pauculis,
Quae sint amico missa nulli epistola,
Et missa amicis sint epistola omnibus.
Fideliaque parietes multos simul
Una ut dealbem, non duos tantummodo.
Sed numerus horum quae do, quae brevi dabo,
Exiguus esse cui videbitur, sciat
Prostare merces plurimas in nundinis,
Numerare quas non, ponderare sed solent.

FINIS.

THEO-

THEODORUS J. ab ALMELOVEEN.

S. D.

LECTORI BENEVOLO.

Quem hic Tibi exhibemus, Lector Humanissime, omnium librorum quos unquam celeberrimae decem praeclarissimorum Stephanorum *Officinae exhibuerunt, in nostrum usum confectus est Catalogus. Hunc aequissimis amicorum meorum petitionibus denegare nec potui nec debui. Siquidem amicorum omnia communia esse, & publica commoda privatis praeponi oportere semper aequum judicavi. Quippe nihil magis absurdum, pene dixerim, iniquum habui, quam ea, quae publicae utilitati inservire possent, domi tamquam secreta ac sacra cedrinis velut arculis includere. Quod cum in aliis culpem vitium ipse ne incurram, accipe lubentissime hunc tibi communicatum indicem; De quo tamen hoc paucis Te volo. Eum nempe alio-*

rum Catalogorum, (praecipue Bibliothecae Bodlianae, Barbarinae, Thuanae, Heinsianae, cum Patris tum Filii,) ope atque auxilio maxima ex parte esse confectum. Quis enim omnes libros per Cxx, & plures annos, maximo numero impressos, respicere ne dicam colligere potest. Quapropter, quemadmodum hominis est errare, si hic illic seductus Catalogorum vitiis, quibus conficiendis ac imprimendis parum curae adhibetur erravero, volo mihi id ignoscas, qui pro virili tamen parte adnixus sum quam accuratissime eum conficere simul & exhibere. Verum è contrario iisce rogo adscribas, meoque faveas labori, & utaris quam gratissime. Quod pro voto si impetravero ingenue optatam metam me contigisse profitebor, Vale.

I N-

INDEX LIBRORUM,

Qui ex omnium Stephanorum Officinis unquam prodierunt.

HENRICI STEPHANI. I. OFFICIN. LIB.

Historia Asiae, Europae à Pio Papa conscripta, in 4. 1509.

Psalterium Quintuplex *Gallic. Rom. Hebr.* vetus conciliatum per Jacob. Fab. Stapulensem cum expos., fol. 1509.

Ricoldus contra sectam Mahumeticam, & Anonymi libellus de moribus Turcarum item Judaeorum, 4. 1511.

In hoc opere contenta, Theologia Damasceni, quatuor libris explicata: & adjecto ad litteram commentario elucidata.

I. De ineffabili divinitate.

II. De creaturarum Genesi, ordine Moseos.

III. De iis quae post resurrectionem usque ad universalem resurrectionem, &c. fol. 1512.

Contenta in hoc opusculo. Vetus editio Ecclesiastæ Olympiodorus in Ecclesiasten inserta nova tralatione interprete Zenobio Acciaiolo Florentino. Aristeas de LXXII. legis Hebraicae interpretatione interprete, Matthia, Psalmerio, Vincentino, 4. 1512.

Elizabethae Schonaugiensis, Sororis Egberti Regis, visiones. 1513.

Sigeberti Gemblacensis Coenobitae Chronicon ab

anno 381. ad 1113. cum insertionibus ex Historia Golfridi, & additionibus Roberti Abbatis Montis, centum & tres sequentes annos complectentibus in 4. 1513.

Arithmetica decem libris demonstrata.

Musica demonstrata libris 4.

Epitome in libros arithmeticos divi Severini Boëthii.

Rithmimachie ludus qui & pugna numerorum appellatur, fol. 1514.

Charl. Boville l'art & science de Geometrie avec les figures sur chacune reigle par lesquelles on peut facilement comprendre la dite science, 4. 1514.

Dionysii Areopagitae opera Latine, fol. 1515.

Euclidis Elementa Geometriae, fol. 1515.

Pedacii Dioscoridis Anazarbei de Medicinali materia, libri quinque.

De virulentis Animalibus & venenis, cane rabioso & eorum notis, ac remediis libri quatuor Joanne Ruellio Suessionensi interprete, fol. 1516.

Librorum 10. Aristotelis Moralium tres conversiones, Argyropyli, Aretini & Antiqua, fol. 1516.

Aristotelis Metaphysica ex interpret. Bessarionis, & Argyropyli in 12. Primos libros interpretatio. Theophrasti Metaphysicorum lib. 1. in fol. 1516.

In hoc opere contenta. In Canticum Canticorum Homiliae quindecim. In aliquot Psalmos Davidicos oratiunculae sive breves Homiliae octo & quadraginta. Insuper sanctam Dei Genetricem MARIAM panegyrici sive laudativi sermones quinque. Venale habetur Parisiis in Officina HENRICI STEPHANI chalcographi è regione scholae Decretorum, 4. 1616.

Textus de Sphaera de Sacrobosco cum additione

(quan-

(quantum necessarium) adjecta. Novo commentario nuper edito, ad utilitatem studentium Philosophicae Paris. Academiae illustratus cum compositone annuli Astronomici Boneti Latensis & Geometria Euclidis Megarensis, fol. 1516,

Euclidis Megarensis Geometricorum elementorum libri xv.

Campani Galli Transalpini in easdem commentariorum libri. xv.

Theonis Alexandrini Bartholomaeo Zamberto Veneto interprete, in tredecim priores, commentariorum libri XIII.

Hypsiclis Alexandrini in duos posteriores, eodem Bartholomaeo Zamberto Veneto interprete, commentariorum, libri II. fol. 1516.

Introductorium astronomicum theorias corporum coelestium duobus libris complectens: adjecto commentario declaratum, fol. 1517.

Eusebii Chronicon latine, 8. 1518.

Latina Interpretatio Theodoreti, 1519.

Opusculum de vita & Moribus Sacerdotum in 4. 1519.

ROBERTI STEPHANI PRIMI OFFICIN.

POETAE GRAECI.

Dionysii Alexandrini descriptio orbis Graeci cum commentariis Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi, 4. 1547.

Lazare de Baif. Il a d'avantage la Tragedie d'Euripide, nommée Hecuba, traduit du Grec en François. 1550.

Anacreontis Teii Antiquissimi Poëtae Lyrici Odae, ab Helia Andrea Latina factae, ad Clariss. Virum Petrum Montaureum Consiliarium, & Bibliothecarium Regium.

Nec si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas. in 8. 1556.

Anacreontis & aliorum lyricorum aliquot Poëtarum Odae Grae. In easdem Henr. Steph. observationes, eaedem Latine ab H. Stephano eodem carmine expressae, 8. 1556.

Dionysiii Alexandrini de situ orbis Poëmation, Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi commentariisillustratum, 4. 1557.

POETAE LATINI.

A. Persius cum Commentariis Aelii Antonii Nebressensis, 8. 1527.

P. Te-

P. Terentii Comediae sex, tum ex Donati commentariis, tum ex optimorum, praesertim veterum, exemplarium collatione, diligentius quam unquam ante hac, emendatae. Aelii Donati Antiquissimi & celeberrimi grammatici in easdem, qui cunque exstant, commentarii, ex veteri codice manu descripto, Græcis etiam repositis, accurate castigati. Calphurnii in tertiam Comoediam doctissima interpretatio Eorum, quae in commentariis sparsim annotata sunt index amplissimus, fol. 1529.

Castigationes & varietates Virgilianae lectionis, per Joannem Pierium Valerianum, fol. 1529.

Plauti opera omnia, 8. 1530.

Terentius, 8. 1531.

P. *Virgilii Maronis Opera, Mauri Servii Honoratii Grammatici in eadem Commentarii ex antiquis exemplaribus suae integritati restituti.* Index eorum quae à Servio explicantur ita copiosus ut vel Dictionarii instar esse possit. *Castigationes & varietates Virgilianae lectionis, per Joannem Pierium Valerianum, fol.* 1532.

Virgilius, 8. 1533.

Q. Horatii Flacci Ars Poëtica, cum trium doctissimorum commentariis. A. Jani Parrhasii. Acronis. Porphyrionis. Adjectae sunt ad calcem doctissimae Glareani annotationes in 4. 1533.

Terentius Donati, fol. 1536.

Virgilius in 12. 1537.

Terentius in 24. 1540.

Virgilius in 8. 1540.

P. Terentii Comoediae IV. cum Donati Commentariis & Calpurnii, 4. 1541.

Ovidii Heroides, 8. 1541.

Jun. Juvenalis Satyrae. XVI. A Persii Satyrae. VI. Ad

Ad vetuſtiſſ. ſcripta exemplaria emendatae: quorum Varias lectiones ad calcem rejecimus, in 8. 1544.

Q. Horatii Flacci Poëmata. Ratio menſuum quibus Odae ejuſdem Poëtae tenentur. Centimetrum Marii Servii. Variae lectiones ex Vetuſtiſſ. codicibus, 8. 1544.

Terentius in 8. 1545.

M. Anneii Lucani de Bello Civili Libri decem.

Ejuſdem vita in fine operis.

Ad vetuſt. ſcripta exemplaria emendati: quorum varias lectiones ad calcem rejecimus, 8. 1545.

Theodori Bezae Poëmata juvenilia, 8. 1548.

P. Virgilii Maronis Opera in 12 1549.

Junii Juvenalis & Auli Perſii Flaccii Satyrae. Jam recens recognitae, ſimul ac adnotatiunculis quae brevis commentarii vice eſſe poſſint, illuſtratae. in 8. 1549.

Terentius Donati, 8. 1551.

Sententiae Veterum Poëtarum, per Georgium Majorem in locos communes digeſtae, ac tandem poſt authoris ſupremam manum multum auctae locupletatae. Antonii Mancinelli de Poëtica virtute libellus. Index ſententiarum & proverbiorum, 8. 1551.

HISTORICI GRAECI.

Herodiani Hiſtoriae de Imperio poſt Marcum, vel de ſuis temporibus, è Graeco Tranſlatae, Angelo Politiano interprete, 8. 1544.

Euſebii Pamphilii Eccleſiaſticae Hiſtoriae libri X. Ejuſdem de vita Conſtantini libri V. Socratis Scho-

Scholastici Ecclesiasticae Historiae libri VII. Theodoriti Episcopi Cyrensis Ecclesiasticae libri V. Collectaneorum ex Historia Ecclesiastica, Theodori lectoris libri II. Hermiae Sozomeni libri IX. Evagrii Scholastica libri VI. Graec. fol. 1544.

Dionysii Halicarnassei antiquitatum Romanarum libri XII. Ejusdem de compositione seu orationis partium aptâ inter se collocatione, ad Rufum. Ejusdem artis Rhetoricae capita quaedam, ad Echecratem. Item quo genere dicendi sit usus Thucidides in fol. 1546.

Ejusdem Responsio ad Cn. Pompeii epistolam, in quâ ille de reprehenso ab eo Platonis stylo conquerebatur. Ejusdem comparatio Herodoti cum Thucydide, & Xenophontis, Philisti Theopompi inter se. Ejusdem ad Ammaeum epistola, adversus eos qui Demosthenem ab Aristotele praecepta eloquentiae didicisse contendebant. Ejusdem de præcipuis linguae autoribus elogia, fol. 1546.

Dion Cassius Gr. fol. 1548.

Dionis Nicaei Rerum Romanarum à Pompeio Magno ad Alexandrum Mamaeæ, Epitome authore Joanne Xiphilino. Ex Bibliotheca Regia, 4. 1551.

Idem Latine Guilielmo Blanco Albiensi interprete ad Georgium Armeniacum, Cardinalem Amplissim. in 4. 1551.

HISTORICI LATINI.

Turcicarum rerum Commentarius P. Jovii & Anonymi Commentarius Capt. urb. Romae & aliorum. in 8. 1539.

De rebus Turcarum ad Franciscum Gallorum Regem Chri-

Christianissim. libri quinque: Christophoro Richerio Thorigneo Senone, Cubiculario Regio, & Cancellario Franciae à secretis authore.
De origine Turcarum, & Ottomanni imperio.
De moribus & institutis illius gentis.
De Tammerlanis Parthi rebus gestis.
De expugnata à Maomete Constantinopoli.
De Castellinovi Dalmatiae opidi recenti direptione in 4. 1540.
Justini Historiae, 8. 1543.
C. Suetonii Tranquilli XII. Caesares. Ex vetusto exemplari emendatiores multis locis, 8. 1543.
C. Julii Caesaris Rerum ab se gestarum Commentariis. De bello Gallico, libri VIII. De bello civili Pompeiano libri III. De bello Alexandrino liber I. De bello Africo liber I. De bello Hispaniensi liber I. Ex vetustiss. scriptis codicibus emendatiores. Pictura totius galliae, Pontis in Rheno, Avarici, Alexiae, Uxellodum, Massiliae, per Jucundum Veronensem, ex descriptione Caesaris. Veterum Galliae locorum, Populorum, Urbium, Montium, ac Fluviorum brevis descriptio, 8. 1544.
Historiae Augustae scriptores cum notis Ignatii 3. voll. in 8. 1544.
Ammianus Marcellinus in 8. 1544.
Dion Cassius Nicaeus, Aelius Spartianus, Julius Capitolinus, Aelius Lampridius, Vulcatius Gallicanus. Johannis Baptistae Egnatii veneti in eosdem annotationes, 8. 1544.
Eutropii epitome belli Gallici ex Suetonii tranquilli monumentis quae desiderantur. In C. Julii Caesaris commentarios de bello Gallico ac civili, Henrici Glareani Poëtae Laureati annotationes in 8. 1544.

Tre-

